







ALANI DE INSULIS

ANTICLAUDIANUS

ANGERS, IMPRIMERIE LACHÈSE ET DOLBEAU

ALANI DE INSULIS

ANTICLAUDIANUS

CUM DIVINA DANTIS ALIGHIERI COMŒDIA

COLLATUS

THESIM ANTE FACULTATEM LITTERARUM PICTAVIENSEM

PROPONEBAT

EUG. BOSSARD

Licentiatus

« Il n'y a que la Rhétorique, qui puisse jamais supposer que le plan d'un grand ouvrage appartient à celui qui l'exécute. »

VICTOR COUSIN

Introduction à l'histoire de la Philosophie. XIe leçon.



ANDEGAVI

EXCUDEBANT LACHÈSE ET DOLBEAU

1885


BIBLIOTHEK
DER
CANTONAL=
LEHR=
ANSTALTEN
ZU
ZÜRICH.

OPTIMO ET AMICISSIMO PATRI

E. HARRY

Presbytero

GRATI ANIMI HOC PIGNUS

D. D. D.

AMANTISSIMUS AUCTOR

EUG. BOSSARD.

INDEX

PRÆCIPUORUM AUCTORUM ET LIBRORUM, QUI OPUSCULO NOSTRO PROFUERUNT.

In Alanum de Insulis.

Albericus de Tribus Fontibus, *Chronica.* Lipsiæ, 1698, in-4°.

Baillet, *Journal des Savants*, 9 vol. in-12, t. IV.

Balœus, *Script. brit. catalog.* Basiliæ, 1559, in-4°.

Barthius, *Adversar.*, lib. VIII, cap. XXIII, col. 409; — lib. XV, cap IX; — lib. XIX, cap. V, col. 677; cap. IX, col. 980.

Bonamy, *Mémoires de l'Acad. des Inscriptions*, t. XIV, XV.

D. Brial, *Hist. litt. de France*, 1824, t. XVI, p. 396-425.

Brucker, *Hist. critic. philosophiœ*, 1766, t. III, p. 780-782.

Brunet, *Manuel du libraire*, 1860, t. I, 123-125.

Bullœus, *Hist. universit., Paris.*, 1665, t. II, p. 719-723.

Capella (Martianus), *Satiricon.*, Basiliæ, 1532, in-fol.

Caraman. (Duc de), *Hist. des révolut. de la philos. en France pendant le m. a. jusqu'au XVIe siècle.* Paris, Ladrouge, 1848, 3 vol. in-8°.

Cave, *Script. eccles.*, 1745, t. II, p. 287-624, etc.

Id. *Hist. litter.* Coloniæ Allobrogum, 1745.

Ceillier, *Histoire des auteurs sacrés*, XIV, p. 863-876.

Dupin, *Biblioth. auct. eccles.*, 1701, t. XIII, p. 204-205.

Dupuis, *Alain de Lille : Études de philos. scolastique*, 1859, in-8°.

Du Verdier, *Bibliot. française*, 1772, t. III, p. 32-34.

Encyclopédie nouvelle, *De la Scolastique*, année 1841.

Fabricius, *Biblioth. med. et infimæ latinitatis*, voce *Eberhardus.* Hamburgi, 1734, 6 vol. in-4°, t. I, p. 89-94.

Foppeus, *Biblioth. belgica*, 1739, t. I, p. 36-37.

Gallia Christiana, t. VIII, p. 401, 402, 403.

Graesse, *Trésor des livres rares.* Dresde, gr. in-4°, 1859, t. I, 49', 146'.

Hain, *Répertoire bibliog.*, 1826, t. I, p. 376-392.

Hauréau, *Essai de philos. scolast.*, Paris, 1850, 2 vol. in-8, t. I, p. 345, etc.

Henricus Gandavensis, *De scriptor. eccles.* Coloniæ, 1580, in 8°, c. 81.

Jourdain, *Recherches crit. sur l'âge et l'orig. des traduct. latines d'Aristote.* Paris, 1843, in-8°. — *Dictionn. des sciences philos.* Hachette, t. I.

Legrand d'Aussy, *Notices et extraits des mss de la Bibliothèque du Roy, publiés par l'Institut*, t. V, p. 546, etc.

Lelong, *Biblioth. histor. de la France*, 1768-1778, t. I, 13008.

Leyserus Polycarpus, *Hist. poet et poemat. œvi medii.* Halæ Magdeb., 1725, in-8°.

Martin, H., *Histoire de France*, t. III, p. 368.
Migne, *Patrologia*, t. CCX. *Opera Alani de Insulis*, 9-26.
Miræus, *Commentar. de Script. eccles. antiq.*, 1722.—*Biblioth. eccles.* Antuerpiæ, 1639.
Morin, *Dictionn. philos., théolog. scolastique*, 1856, t. I, p. 419, etc.
Otho de Sancto Blasio, *In collect. histor. German.* Basileæ, 1584. — Otho Frisinghensis, *Histor. lib. VIII.* Argentorati, 1515, in-fol.
Oudinus, Casimirus, *Commentarii de script. eccles. ant.: dissertatio de unico Alano.* Francofurti et Lipsiæ, Weidmann, 1732, 3 vol. in-fol., t. II, col. 1386-1408.
Pasquier, (Henri). *Baudry, abbé de Bourgueil et archev. de Dol.* Paris, 1878, in-8°.
Rousselot, *Étude sur la philos. du m. a.* Paris, 1842, 3 vol. in-8°.
Simler, *De Archithrenio.* Lutet. Paris., 1871, in-8°.
Tennemann, *Geschichte der philos.*, t. VIII, p. 289.
Trithemius, *Lib. de script. eccles.* Basileæ, 1494, p. 527.
Vischius, *Biblioth. cisterc.*, 1649, p. 13-16.
Id. *Opera Alani de Insulis.* Antuerpiæ, 1654.

In Dantem Alighierum.

Artaud de Montor, *Vie de Dante.* Garnier frères, Paris. 1878, in-12.
Brizeux, *Œuvres de Dante Alighieri.* Paris, Charpentier, 1845, in-12.
Comparetti, *Virgilio nel medio evo.* Livourne, 1878, 2 vol. in-8°; præsertim, t. I, p. 296, etc.
Delecluze, *Observations sur la Vie Nouvelle de Dante.* Paris, Charpentier, 1845, in-8°.
Edelestand du Méril, *Recherches archéologiques* : Virgile l'Enchanteur ; Paris, 1850, p. 424-478.
Fauriel, *Biographie de Dante.* Revue des Deux-Mondes, 1er oct. 1834.
Foscolo, *Edimburgh Review*, sept. 1818, t. XXX, p. 317.
Guinguené, *Hist. littér. d'Italie*, t. II.
Labitte, *La Divine Comédie avant Dante.* Paris, 1845.
Michel (Fr.), *Quæ vices, quæque mutationes et Virgilium ipsum et ejus carmina per med. œtat. acceperint.* Paris, 1845.
Ozanam (Fr.), Œuvres complètes, t. VI; *Dante et la philosophie catholique au XIIIe siècle.* Paris, J. Lecoffre, 1852; t. V, *Étude sur les sources poétiques de la Div. Comédie.*
Villemain, *Tableau de la littér. au moy. âge.* Paris, Didier, 1851, 10e, 11e et 12e leçons.

ALANI DE INSULIS

ANTICLAUDIANUS

PROŒMIUM

Sciunt omnes, qui in historia duodecimi seculi operam tempusque consumpserunt, paucos fuisse inter auctores illius ætatis, qui Alanum de Insulis fama vicerint. Nos itaque, quum de Alano de Insulis aliquid scribere statuimus, hujus doctoris, qui vivus vel maximam laudem adeptus est, prope omnia gesta in tenebris post mortem jacuisse pro miro habuimus.

Hic enim vir, egregia præditus natura, ita imbutus sanis doctrinis, ita a magistris edoctus fuit, ut honestissima non solum Græcorum, sed etiam Romanorum æqualiumque opera penitus possederit. Quapropter scientia, libris, studio in litteras insignis, præclarum *Universalis Doctoris* nomen, quod cum æquales, tum posteri confirmarunt, omni jure nactus est. Cujus quidem opera, sive quo tempore vixit, sive postea, in lucem edita, tum magistrorum, tum alumnorum oculos in se converterunt, in manibus omnium fuerunt, interque præclarissima, quæ ad humanitatem pertineant, fuerunt posita. Unde huic tam claro viro idem contigit, quod quibusdam aliis hominibus ævi medii præstantissimis evenit, Gerberto nempe Papæ (ut aliquot proferam exempla) et Alberto Magno, quorum vitam et facta posteri innumeris fabulis ornarunt atque auxerunt; quasi, ut ingenio magno virum extollant laudibus, necesse sit res ejus gestas et vitam obliviscantur aut omittant atque ad fabulas confugiant.

Itaque, quis fuerit hic doctor parum cauti non retulerunt auctores; sed ejus scripta, quibus longe præstitit vulgo, supersunt; inter quæ pulcherrimum sane ac clarissimum est, omnium judicio, illud quod *Anticlaudianus* seu *de Officio viri boni et perfecti Liber* vocatur. Illud opus, quum Alani nostri libros perlegerem, brevi me in admirationem adduxit, non solum quia formæ pulchritudine auctorisque scientia et fama in scholis ævo medio clarissimum fuit, sed etiam præsertim quia illustrem cum quibusdam antiquitus scriptis operibus affinitatem præ se ferebat. In *Anticlaudiano* enim, formam operis si conspexeris quam imitatur, Alanus poematis, quod inscribitur *In Rufinum*, Claudiani poetæ, formam mutuatus est; si autem propositum quod prosequitur, multum hausit ex opere Martiani Capellæ *de Nuptiis Philologiæ et Mercurii*. Cui rei cum legendo meum impenderem omne studium, mox attentus, inter ea, quæ olim in *Divina Comœdia* Dantis Alighieri poetæ videram, nonnulla non absimilia in Anticlaudiano exstare comperi. Omnibus itaque perpensis, pro certo mox habui *Anticlaudianum* cum pulcherrimo omnium poematum, quæ in lucem ævo medio prodierunt, nempe cum *Divina Comœdia,* cognatione quadam conjunctum : unde illud poema nobis dignum visum est, quod inter fontes, e quibus Dantes plurimum hauserit, jam a criticis adscriberetur.

Primum igitur quis fuerit Alanus de Insulis, quonam tempore aut loco vixerit, quibusnam studiis incubuerit, quænam tandem composuerit opera, antequam cetera exequerer, diligenter indagare volui. Illud autem mihi fuit maxime molestum, non modo Alanum de se, nisi in raris et iisdem brevissimis locis non locutum fuisse, sed etiam paucissimos ex auctoribus æqualibus, qui de eo scripserunt, superesse. Dabitur tamen hæc venia, ut ea, quæ attente Alani vestigia perscrutando reperi, in lucem proferam : quod si vero totam ejus vitam explicare atque exponere nequivero, id igitur puto mihi crimini non esse tribuendum; ego enim legentibus satisfecero, si quæ certa sunt, ut certa, dubia vero, ut dubia retulero.

Deinde autem fusius *Anticlaudianum* explanabimus. Sed, ut illius carminis ratio omnis perspiciatur, necesse est revocemus in memoriam primum qua de causa fuerit compositum, deinde quæ exemplaria fuerit secutum : quibus tandem in clariore lumine positis, conabimur inquirere num cum quibusdam aliis ævi medii operibus aliqua, ut ita dicam, affinitate et cognatione sit conjunctum.

Postremo quid, nostra quidem sententia, ex illo Alani carmine in *Divinam Comœdiam* Dantis manaverit, disquirendum erit. Nobis igitur erit probandum utrumque opus inter se concinere, primum consilio quo ductus est auctor uterque; deinde personis præcipuis, quæ in

utroque carmine partes agunt, necnon quibusdam aliis partibus, inter quas *Ascensus* Phronesis [1] et Dantis in cœlum, et *Empyræi* descriptio. Quibus omnibus diligenter exquisitis et prolatis in lucem, manifestum fiet, credo equidem, ex hoc opere Alani Dantem quædam haud parvi momenti hausisse.

Unde nostrum opus dividimus in duas partes :

1ª De Anticlaudiano.

2ª Quibus argumentis *Anticlaudianum* et *Divinam Comœdiam* inter se concinere probetur?

Quibus partibus anteponere, in procemio, operæ pretium est non pauca de vita operibusque Alani.

I. — Quanam e patria ortus sit Alanus?

Tres aut quatuor auctores, qui operam dederunt ad disquirendum unde ortus fuerit Alanus noster, Alani nomine multis hominibus communi et vulgari decepti in errorem inducti fuerunt.

Fallacissime primum Demsterus dicit Alanum e Germania ortum esse : confuse enim et permixte loquitur quum nostrum poetam et Alanum quemdam, qui monasterio S. Jacobi Herbipolensis præfuit, unum et eumdem esse affirmat [2]. Hic enim Alanus Scotus, non Germanus, jure habetur, ut plane probatur versu sequenti, qui fuit in ejus tumulo inscriptus :

Scotia me genuit, Germania condit Alanum [3].

Huc etiam adde quod J. Trithemius, qui postea ejusdem monasterii præses fuit et rector, putat hunc Alanum ex insula *Man* oriundum, annoque 1455 mortuum esse [4] : unde patet Demsterum in errorem esse lapsum.

Quanto longius a vero declinet Drexellius, nemo est qui non videat, quum auctor ille de verbis « *insulanus, insulensis, de Insulis,* » disserendo, Alanum nostrum in Sicilia natum esse insulsius scribit [5]. Nec minus quoque de via recta deflectit Manriquez : nostrum enim poetam

[1] Una ex personis *Anticlaudiani.*

[2] Demsterus, *Historia ecclesiastica gentis Scotæ,* anno 1627. Bononiæ, in-4°, p. 61.

[3] Trithemius, *Chron. Monasterii S. Jacobi Herbipolensis,* 1601. Francofurti, in-f°, p. 257. — Conf. Nicéron, « in Trithemium »; Mémoires, Paris, 1777-1745.

[4] Alanus noster, ut infra videbitur, an. 1203 mortuus est.

[5] Drexellius, *Comment. in Danielem* : Omnia opera, 1643, 2 vol. in-f°, t. II, cap. XVIII, § 3, p. 582.

conferre cupit cum quodam alio viro, quem *Alanum* nomine dictum virtutibusque et pietate in Deum maxime conspicuum, fuisse inter amicos D. Bernardi et in Hispania vitam egisse credunt.

Seculo decimo octavo, auctor quidam locupletissimus et rerum gestarum valde peritus, licet cognomen *Insulense* Alano æquo jure tribuendum esse arbitraretur, non tamen *Insula,* ex urbe Flandriæ Gallicanæ celeberrima, sed aut *Insula,* in Gallia Aquitania[1], aut *Insula* apud Avenionem, aut *Insula* tandem, apud Lutetiam, desumptum esse existimabat. Argumentis autem et rationibus quare prædictas urbes designaret conabatur probare sequentibus; *Insulam* nempe indicabat, apud Lutetiam, quia olim in hoc loco extructum erat monasterium Cisterciensis familiæ, cujus erat, ut dicemus infra, Alanus noster; *Insulam* in Aquitania, quia tenuerat dominatum Montispessulani Gulielmus VIII, cui librum *De Fide contra hæreticos* Alanus grati animi pignus dicaverat; *Insulam* vero apud Avenionem, quia in eodem libro *de Fide contra hæreticos* Alanus opiniones sensusque eorum, qui veritati e cœlo delapsæ et a Christo traditæ adversabantur, quique tunc temporis in Gallia Narbonensi vigebant, acriter et vehementer refellere conatus est[2]. Conjectura autem, quæ in varias partes sic duci potest, nonnunquam etiam in contrarias, quid incertius? Non quicquam aliud significat, nisi acumen scriptoris e similitudine aliqua opinionem modo huc, modo illuc, ducentis. Sed hæc hactenus.

Jam ante seculum decimum octavum non pauci subtilius quam rectius de cognomine illo *insulensi* non semel disseruerunt; quorum alii verbum *Insulense* nihil aliud nisi cognomen merum esse dixerunt[3]; alii verbum in aliud verterunt, aut in *Teutonicum* ut Vossius; aut in *Alemanum,* ut Sixtus Senensis; aut in *Germanum,* ut Gesnerus et Giraldus; aut in *Belgicum* ut Possevinus; quorum omnium sententia cum sententia nostra in hoc convenit, quod circa Flandriam semper versatur[4]. Etenim de *Insulis,* urbe Flandriæ Gallicanæ primaria, cognomen illud *Insulense* interpretatione explicandum est : cujus rei testes antiquissimos, quin etiam Alani nostri æquales,

1 In regione vulgo « *de Médoc* » nuncupata.

2 Cf. Lebœuf, *Dissertations, Histoire de Paris,* t. II, part. 2, p. 293. — Cf. etiam Gariel, *Series præfect. et episcop. Magalon.* Tholosæ, 1665, in-f°. — Bossuet, *Histoire des Variations,* livre XI.

3 Manriquez, *Annales Cistercienses,* ad annum 1740, c. 10, n. 7. — Jongellinus, *Purpura Sancti Bernardi et notitiæ Abbat. Ord. Cisterciensis.*

4 Cf. Vossium, *De poetis latinis*, Leyde, 1627, ad annum 1300. — Sixtum Senensem, *Bibliotheca sancta*, 1742. Neapoli, 2 vol. in-f°, lib. 4, litt. A. — Gesnerum, *Bibliotheca Universalis.* Tiguri, 1445, in-f°, p. 57. — Giraldum, *Dialog. V, de Poetis.* — Possevinus, *Apparatus Sacer.* Venetiis, 1593. 2 vol. in-f°, t. I, cap. VII, fol. 33.

tres excitare possumus, Othonem nempe *de Sancto Blasio*, Henricum *Gandavensem*, et Albericum de *Tribus Fontibus;* ad quos etiam accedit Joh. Trithemius, qui non multo post hos auctores floruit [1].

Plenius igitur æquo jam his auctoribus probaretur Alanum nostrum *Insulis* natum esse. Sed ita Alanus ipse in commentariis, quos de consensu fere omnium et præsertim ex eorum, qui *Historiam litterarum in Gallia* composuerunt, opinione, scripsit in Merlini prophetias : « Vidi et ego in Flandria, cum puerulus adhuc essem, apud Insulam « *(unde natus fui)* feminam quamdam maleficam, quæ in maleficio « comprehensa... Tempus illud fuit quo comes Theodoricus ab Insu- « lanis hominibus, Gandavensibus quoque ac Brugensibus, advocatus « erat a terra sua in Flandriam, tanquam legitimus Flandriæ hæres, « reprobato Wil. Normanno, qui nihil in Flandricis hereditarii juris « habebat [2]. » His verbis pro comperto est, non solum nostrum Doctorem Insulis, in Flandria, oriundum esse, sed etiam, quod sedula cura notare oportet, ante annum 1128 natum esse. Nam Theodoricus ille cognomine *de Alsatia*, Theodorici *Strenui*, Lotharingiæ Mosellanæ ducis, filius, arcessitus et electus est princeps Flandriæ anno 1128, ut in annalibus flandrensibus legitur; quo tempore Alanus noster *adhuc puerulus* erat. Adde etiam quod neque *Bibliographia Universalis*, neque ceteri ecclesiastici scriptores, qui huic opinioni repugnant, argumentis suæ sententiæ fidem faciunt.

II. — De studiis Alani.

Quisnam Alani pater fuerit, qua fortuna aut conditione, necnon quibus magistris usus fuerit ad disciplinam acquirendam puer, quibusve in scholis incubuerit ad litteras, nequidquam disquireretur. Prope enim nihil aut ex Alano, aut ex æqualibus scriptoribus accepimus,

[1] Otho de Sancto Blasio, Abbas in Hercinia silva, scriptor æqualis Alani, florebat anno 1190, et appendicem adjecit *libro 8 Chronicorum* Othonis Frisinghensis. Incipit Otho de Sancto Blasio ab an. 1146, quo scribere desiit Frisinghensis ille, usque ad an. 1190. Opus de quo loquimur, non semel in quibusdam operibus collectis invenitur (*Otho. Frisinghensis Historiar.*, lib. VIII, Argentorati 1515, in-f°), et præsertim in *Bibliotheca Patrum Cisterciensi* (Tessier). — Henricus Gandavensis (in *Chronica Mundi*, aut *Chronica Belgica*) natione Flandrensis, doctor Parisiensis clarissimus et Sorbonicæ domus, ut aiunt, alumnus, ante annum 1270 studebat Parisiis, et obiit Tornaci, anno 1293. Henrici Gandavensis opera, *De Script. Eccl.*, (c. 81.) Coloniæ, 1580, in 8°. — Albericus de Tribus Fontibus, cujus *Chronica* in lucem edita fuit, curante Lebnitzio, Lipsiæ, 1698, in-4°. — Joh. Trithemius, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, l. c.

[2] *Explanatio in Prophetias Merlini*, Francofurti, typis Spessii, in-8°, MDCIII.

quod ad ejus pueritiam et juventutem referri possit. Attamen si duobus *Parabolarum* versibus fides tribuenda est, matre maturius perempta, a noverca adeo sæva altus educatusque fuit, ut a patre suo filius miser vix subsidia vitæ necessaria impetraret :

Aufert sæpe solo nigra nubes lumina solis,
Et patris auxilium sæva noverca mihi.

(*Lib. Parabolarum*, cap. I.)

Aliquotiens, sed rarissime, de se mentionem facit Alanus, necnon nisi humiliter et demisse de se sentit, ut in versibus sequentibus :

Simpliciter cæcus prohibetur ducere cæcum,
Ne cæcus cæcum ducat in antra suum;
Sed tamen insanum prohibere nequimus Alanum
Quin dubio cæcos ducere calle velit...
Miror et admiror, quod iter ducis arripit ille,
Quem constat nunquam scisse vel isse viam.

(*Ibid.*, cap. IV.)

Sed in operibus variis quæ scripsit Alanus, quæque mihi copia fuit evolvere, innumera fere indicia studiorum, quibus operam dedit, sedulo notavi : quibus perpensis atque excussis, facile cognovi neminem forte, ut consentiunt omnes æquales et posteri, omnibus scientiis et doctrinis, quæ eo tempore florebant, vehementius Alano studuisse. Quin etiam disciplinas, litteras, artes in quibus præsertim fuit versatus, indagare, atque, ut ita dicam, odorari potui : nempe primum septem artes, quibus tantam utilitatem inesse persuasum habebant æquales, ut, eorum judicio, quisquis primum penitus edidicisset has disciplinas, ad ceteras deinde facili labore pervenisset. Nemo eo tempore magistri nomine dignus habebatur, quin has septem artes, quibus constant *Trivium* et *Quadrivium*, calleret. Plenius autem quovis alio illius temporis doctore Alanus studium suum in his artibus posuerat, ut facile percipi potest ex *Anticlaudiano*.

In libro enim tertio hujus poematis, de septem artibus ita sentit, ita loquitur, ut verba, quibus has artes ingenuas extollit, grave testimonium studii, quo has doctrinas liberales prosecutus est, esse videantur. Laudationum, quæ, illa ætate, de septem artibus ingenuis traditæ nobis fuerunt, pulcherrima, ni fallor, apud Alanum invenitur. Nusquam enim alibi, quam in *Anticlaudiano*, disciplinarum humanarum summa, quam septem artes illæ suo complexu continent vasto, felicioribus verbis fuit descripta et pulchrioribus laudibus elata.

Deinde, ante omnes, libros sacros, quibus contineri doctrinam e cœlo delapsam creditur; opera illorum, qui similitudine curæ, qua foverunt societatem christianam, *Patres* appellati sunt, diurna noc-

turnaque manu versaverat : quod quidem ex operibus variis[1] innumerisque locis perspicuum est. Quamvis autem litteras doctrinasque divinas humanis omnibus scientiis et litteris anteponeret, non ideo res profanas neglexerat. Ita enim apparet antiquitatis veterumque scriptorum litterate operum, omniumque doctrinarum, quæ suo tempore florebant, peritus, ut non immerito dignus fuerit qui inter doctissimos illius ævi recenseretur, ne dicam omnium callidissimus haberetur. Quantum in lingua latina exercitatus atque in hac sæpe versatus fuerit, nemo est qui non intelligat, quum opera ejus perlegit : quæ quidem lingua tunc temporis omnino communis erat; sed inter omnes æquales sermone puro, dilucido, facili et eleganti clarus videbatur. Imo, nostrum poetam linguæ græcæ, quam plerique ex æqualibus minimi faciebant, non ignarum fuisse credo : nullum verbum, fateor equidem, ex litteris, quibus Græci utebantur, scriptum in operibus Alani inveniri posset; attamen non semel verba græca ex litteris latinis scripta reperiuntur. Adde etiam quod sæpe verborum græcorum interpretationem dedit, qua de causa, quæque essent ita nominata; quam interpretationem, ut ait Tullius, etymologiam appellant, id est, verbum ex verbo, veriloquium[2]. Fueritne autem in lingua, cum hebraica, tum syriaca, quam aliquoties usurpat, versatus, minime certum est.

Si quis cuncta loca, non modo *Anticlaudiani*, sed etiam variorum operum, in quibus doctor noster disciplinas tunc florentes extollit laudibus, colligeret, perfacile, credo equidem, describere posset qua conditione, quo honore, eo tempore fuerint disciplinæ ad naturam pertinentes. Quæ ne singula enumerem, neque astrologiæ, neque plantarum, neque animantium rudem ignarumque Alanum fuisse dicam. *Anticlaudiani* enim propositum ex astrologia omne pendet; in libro *de Planctu Naturæ* flores haud læve atque incaute pingit; in libro tandem, qui inscribitur *de Naturis quorumdam animalium*, copiose et graviter de animantibus disserit. Quin etiam de illa arte, nova et abscondita, adeoque ab æqualibus exculta, cujus ope natura metallorum mutatur, quamque dixerunt *Alchemiam*, librum Alanus, omnium rerum studiosus, scripsit. Tandem, inter opera, quæ in lucem edidit, notandus est liber qui nuncupatur *de Accusationibus, Inquisitionibus, et Denuntiationibus;* ex quo manifestum fit Alanum juri

[1] E quibus præsertim indicare licebit opera quæ inscribuntur : *Elucidatio in Cantica Canticorum, — De Fide contra hæreticos, — Summa quot modis, — De sex Alis Cherubim, — De Arte Fidei Catholicæ, — De Distinctionibus theologicis, etc....*

[2] I. *Acad.*, 32. — Conf. opus quod inscribitur *Distinctiones dictionum theologicarum*, et initium illius quod dicitur *Regulæ de Sacra Theologia.*

legibusque operam dedisse. Imo, non facile reperire est aliquem auctorem, qui magis dilucide quam noster Alanus de rebus ad jus pertinentibus scripserit, ut ex his versibus, quibus describit *præscriptionem*, perspicuum est :

Jus nostrum pax surripiet ? quod tempore tanto
Defendens nobis præscriptio vindicat ? usus
Confert ? et justo titulo collata tuetur ?

(*Anticl.* v. 3733).

In hoc autem imprimis suspiciendus atque admirandus doctor noster, quod antiquitatis græcæ et latinæ tum philosophos, tum poetas, omnino memoria tenuerit. Dum plerique æqualium exiguum tempus, relaxandi animi causa, conferebant in artes, in quibus non utilitas quæritur necessaria, sed animi liberum quoddam oblectamentum, Alanus omnem curam adhibuit et impendit assiduam poetis et philosophis legendis operam. Inter poetas, quos præcipua admiratione coluerat, primum obtinet locum Virgilius ille, ut ex operibus variis Alani, quæ quasi conspersa Virgilianis versibus et sententiis reperimus, perspicere in promptu est; post Virgilium, Flaccus, Naso, Juvenalis, Lucanus, Persius, Tibullus, Propertius, Terentius, Statius [1]. Sed præ omnibus Claudianum, Martianum Capellam, Boetiumque summa religione, summo studio veneratus est, quippe quos in poematibus, quæ inscribuntur *De Planctu Naturæ* et *Anticlaudianus*, componendis præcipue in exemplum sibi proposuerit.

Post poetas, nullos auctores antiquitatis majore honore prosecutus est et majore diligentia perspexit quam philosophos : inter quos neminem excellentiorem peritioremque Seneca Boetioque habuit : quapropter, hos ita legit, ita memorat, ut scriptis eorum in visceribus et in medullis nutritus fuisse videatur. Insuper, quamvis insolentius faciat Tullii mentionem, nemini tamen sedulo legenti dubitandum est quin Alanus hujus magni viri libros, tam excellenti ingenio et elegantia sermonis insignes, sæpe in manibus habuerit. Quod vero de Platone et Aristotele dicit, id mihi dignum visum est quod attente ante oculos proferatur; unde venia tribuenda erit mihi, si paulo fusius Alani sententiam de Platone et Aristotele explicavero [2].

[1] Ex operibus Alani, quæ typis mandata fuerunt, quæque legendo volvere potui, non minus quam ducenta et quinquaginta loca collegi, in quibus poetæ illi antiqui modo in testimonium afferuntur, modo adumbrantur imitatione.

[2] Caput IV, Lib. III, totum præcepta a Pythagoricis accepta redolet. Cf. præsertim versus 1344 et seq.

III. — De sententia Alani de Platone et Aristotele.

Quæ verba Platonis memorat Alanus, ea plerumque ex libris quos ille insignis philosophus de moribus scripsit, desumpta sunt, et ideo nihil aliud sunt nisi præcepta, quibus mores conformari putantur. (*De arte præd.* cap. 15.) Has vero sententias Platonicas utrum Alanus hauserit e græcis, an e latinis operibus, in quibus multorum egregie dicta collecta fuerant quæ vocantur ἀποφθέγματα, minime in promptu est. Quum autem tradit hunc virum, tempestate propulsum atque diu agitatum in Ægyptum appulisse, ubi apud sacerdotes magistros librum, quæ *Genesis* inscribitur, penitus didicisset, fabulam mihi videtur ex alexandrinis philosophis accipere : quæ quidem res est, quæ cujusquam animum in hac re dubium facere possit[1] ? Alias autem duo Platonis opera, *Timæum* nempe et *Phædonem*, memorat ; unde quædam notitia Platonis Alano non defuisse mihi videtur [2]. Quæ quidem verba haud nescio Alanum nostrum ab operibus Tullianis mutuari potuisse; vulgo tamen credunt utrumque dialogum Platonis ævo medio fuisse notum vulgatumque [3].

Quæ vero ex operibus Aristotelis desumpsit Alanus, a libris qui inscribuntur *De duobus propositis eligendis*, — *De interpretatione* seu περὶ ἑρμηνείας, — *Analyticæ posteriores*, et *Categoriæ* [4], mutuatus est.

[1] *Summa de Arte prædicatoria*, cap. XXXVI.

[2] *De Fide contra hæreticos*, lib. I, cap. XXX.

[3] Jourdain, *Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions d'Aristote*, 1843, in-8°.

In Anticlaudiano multa vestigia Platonicæ doctrinæ apparent; præsertim in illa parte, in qua Deus, quum mentem novam creare vult, *ideam quamdam, quam in exemplar accipit*, intuetur. (V. *Anticl.*, v. 3008-3031.)

« Hanc formam noys ipsa Deo præsentat, ut ejus
« Formet ad exemplar animam.....

Quæ quidem e *Timæo* derivata videntur. Alias scribit :

« ..... Mens sese accingat ad illa
Quæ minime fiunt, sed sunt, velut illa Platonis
Verba canunt, jamque a sensu nihil expetet, ipsas
Naturas rerum expendens speciesque ; deinde
Angelicos pervecta gradus, ascendet Olympum.

(E poemate quod inscribitur *A Deo semper incipiendum.*)

[4] Liber *de Duobus Propositis eligendis* commemoratur in opere de *Fide contra hæreticos*, lib. I, cap. XXXI. — Qui liber Aristotelis oblivione perpetua deletus, ab ipsa antiquitate ignotus erat. (*Jourdain*, l. c.) Attamen de hoc libro Aristotelem, in *Analyticis posterioribus* (lib. I, c. I). locutum fuisse animadverto : refert enim se

Non modo autem Alanus noster Aristotelis Platonisque verba adhibet, sed etiam de utroque viro optime et recte, et perinde ac quisque meretur, judicat. In *Anticlaudiano* enim Aristotelem *logicæ palestram*, quam suo certo et proprio vocabulo appellat, describentem ante oculos profert; paulo post Platonem qui

Somniat arcana rerum cœlique profunda
Mente..... sensumque Dei perquirere tentat.
(*Anticl.*, lib. I, cap. III, vers. 133 et seq.)

Paucissimi, credo equidem, felicius de his ingeniis locuti sunt, quorum unum ad cogitationes est adeo proclive et in rebus abditis et multum difficultatis habentibus tam diligens; alterum vero de divisione, qua res in suas partes distribuimus, et de definitione, qua propriam cujusque rei vim et naturam declaramus, tam sedulo disserit. Insuper, in hoc loco, de quo agitur, animadvertendum est ab Alano Aristoteli anteponi Platonem, quippe quem ingenio diviniore præditum credat et asserat :

.. .. eo divinius ipsa
Somniat arcana rerum.....

Quo enim tempore floruit Alanus, mentes nondum ceciderant sub imperium ditionemque Aristotelis[1] : hunc philosophum minoris pretii facere videtur Alanus noster. Præcipua causa, cur ita de Stagyrico sentiat, in eo est quod sæpe non intelligit quid Aristoteles loquatur. Ita enim philosophus ille scribit, ut non intelligatur; elocutio quidem, quæ lumen rebus adhibere solet, in operibus hujus philosophi græci obscuritatem et tenebras non raro affert. Quapropter Alanus vocat Aristotelem *abyssum, sphingem, verborum turbatorem*, qui gaudet latere, qui « velamine verbi,

de hac quæstione jam antea disseruisse in sua *Dialectica.* — Liber *de Interpretatione* memoratur tum in 88ª *Regularum Theologicarum*, tum in *Sententiarum* libro. — *Analyticæ posteriores* memorantur in 64ª *Regularum Theologicarum; Categoriæ* vero in 84ª. — Tandem ponere licebit verba sequentia, quæ quo ex fonte deriventur nescio :

1° « Quis habens aliquid humani pudoris, voluptates cum sue et asino communes se habere gratulatur? » (*In arte prædicatoria*, cap. XV. (Forte ex *Ethicis* desumuntur.)

2° « Ille majestatem minuit secretorum, qui indignis secreta revelat et divulgat » — *De Planctu naturæ*. (Edit. Visch., p. 292.) Quæ verba, vel potius sententia, iterum in Anticlaudiano reperitur in *Prologo* et vers. 1150 et seq. — Paulo post., p. 11, hi versus ponuntur.

[1] Scotus Erigenes doctrinas Platonicas magni fecerat; D. Anselmus et Abelardus potissimum S. Augustinum, quem *Platonem Christianum* cognomine dixerunt omnes, sequebantur; Alexander Alesius vix disciplinam suam tradere cœperat; denique eo tempore Arabum opera fere erant ignota.

Omnia sic velat, quod vix labor ista revelet;
Qui tamen idcirco vestit sua dicta latebris,
Ne sua prosternat secreta, suumque relinquens
Arcanum vulgo tandem, vilescere cogat.
Nam sua secreti majestas vilet, et omni
Privatur splendore sui, si publica fiat;
Nam res vulgatæ semper fastidia gignunt.

(*Anticl.*, lib. III, cap. I, vers. 113 et seq.).

Quæ verba ultima mihi videntur notanda esse : nam ex his patet Alanum controversiæ, quam constituerant antiqui de libris Aristotelicis, quos vocant ἀκροαματικούς, aliquid accepisse.

IV. — Alanus in Parisiensi schola professor et moderator.

Si quidem credas *Biographiæ Universali*, Lutetiam admodum juvenis advenit, brevique in *Universitate* inter proceres electus fuit Divinæ Theologiæ magister; quod quamvis non omnino constet, nobis tamen admittendum videtur. Nusquam quidem in Alani operibus invenitur vel minimum indicium, quod in testimonium hujus rei afferri possit. Inde tamen non sequitur de hoc falsum scripsisse posteros; Alanus enim noster, ut jam ante diximus, nisi rarissime, de se non loquitur. Sed nostrum doctorem Parisiis docuisse satis clare indicare videtur Otho de Sancto Blasio, auctor æqualis. Ille enim dilucide meminit Alani magistri, his verbis : « His temporibus, Petrus Cantor « Parisiensis, et *Alanus*, et Præpositivus *magistri* claruerunt; alter « vero multa conscribens exposuit; inter alios librum, qui intitulatur « *Anticlaudianus* [1]. » Præterea, multi, diversis temporibus, Parisiensi scholæ Alanum præfuisse asseruerunt. Henricus enim Gandavensis [2] Alanum nostrum reponit in serie virorum, qui hoc seculo floruerunt, ab anno nempe 1110 ad annum 1200, et de eo sic scribit : « Alanus, Insulis oriundus, liberalium artium peritus, *Parisiis ecclesiasticæ scholæ præfuit.* » Ad quem accedit Joh. Trithemius : « Alanus de « Insulis, inquit,.. *Parisiis ecclesiasticæ scholæ multo tempore præ-* « *fuit* [3]. » Horum modo trium scriptorum verba transtulimus, quum sint antiquissimi; eadem tamen dixerunt multi alii, quorum præ-

[1] Otho de Sancto Blasio, l. c.

[2] Vide supra de Henrico Gandavensi, *De Script eccl.*, l. c.

[3] Joh. Trithemius, *De Script. eccl.*, l. c.

In Theologicis Regulis (Reg. C.) Sequanam in exemplum Alanus affert.

cipui, ut tantum quædam nomina afferam, Gulielmus Cave, Lilius Geraldus, Valerius Andreas, Bullœus, etc.[1].

Hic autem accurate animadvertendum est quosdam in errorem, nescio qua negligentia ductos, ivisse, quum doctorem nostrum aut *Sorbonicæ domus* magistrum, aut *Academiæ* vel *Universitatis* Parisiensis moderatorem et rectorem appellent[2]. Etenim apprime constat hos auctores esse locutos vitiose, quum neque Academia, neque Sorbonica domus nondum exstaret. Felicioribus verbis usi sunt ii, qui Alanum *ecclesiasticæ scholæ* præfuisse tradunt. De illa enim schola agitur, quam accepimus primitus, ante *Universitatem* fundatam, ad episcopalem domum Parisiis creatam fuisse. In hac schola jam ante Alanum ferunt Gulielmum Campellensem, quum primum ei certamen fuit cum Abelardo, disciplinam suam tradidisse[3]. Verbum autem « *præfuit* » mihi videtur indicare Alanum in hac schola moderatoris vel rectoris vices gessisse, quamvis me tamen non fugiat aliquando verbum illud referri ad magistri munus[4]. Hæc prope fidem faciunt sumptibus publicis Alanum docuisse : quæ forte fuit causa quare irrideat et contemnat scholas parvis opibus et facultatibus constitutas, de quarum inopia historici ad nos sæpissime retulerunt :

In sterili steriles aratrum facit aggere sulcos,
Et labor in miseris est sine fruge scholis.

(*Lib. Parabolarum*, cap. I).

Nec sententiam nostram offendunt, qui contendunt rem non ita fuisse; nihil enim afferre possunt, quod oppositum probabilius sit quam illud quod obstabit[5]. Quamvis enim Joh. Sarisberiensis, qui ætatis suæ magistros describendo nominat et disponit, ne mentionem quidem Alani nostri faciat; quin etiam, quamvis ex operibus manu scriptis Alani nullum quodvis professoris munus ei tribuat, minime nostra sententia rejicienda nobis videtur. Respondere enim licet tertii decimi seculi opera manu scripta plerumque suum auctorem *Magistrum, Abbatem, Episcopum*, raro autem *professorem* dicere. Quod

[1] Gulielmus Cave, *Script. eccl.* (1745), t. II, I, p. 624. « Alanus de Insulis... ejusdem Academiæ *moderator.* » — Lilius Geraldus, *Dialog. V, De Poetis :* « Universalis Doctor,... præfuit aliquandiu Lutetiæ. » — Valerius Andreas, *in Biblioth. Belgicâ*, ait « Alanum Parisiis scholæ ecclesiasticæ plures annos præfuisse. » — Bullæus, *Hist. Univ. Paris*, t. II, p. 434, Alanum in Academia Parisiensi docuisse » contendit.

[2] Cf. Gulielmum Cave, Bullæum, Sanderum, Sixtum Senensem, etc.

[3] Cf. Bullæum, *Hist. Univers. Parisiensis*, l. c.

[4] Cf. Bullæum, l. c.

[5] Cf. D. Brial. — Joh. Sarisberiensis *Metalogicum*, *Polycrat. et Epistolas.*

autem attinet ad Joh. Sarisberiensem, nobis satis erit animadvertere hunc auctorem tantummodo de professoribus, qui ab anno 1136 ad annum 1148, floruerunt, scripsisse, eoque tempore Alanum admodum fuisse juvenem.

Denique, si quam fidem facias auctori cuidam, qui tertio decimo sæculo claruit, Alanus noster pluribus annis theologiam sacram Montispessulani docuit[1]. Non quidem infitior sacram theologiam non publice nisi post annum 1422, jubente Papa Martino quinto, Montispessulani traditam fuisse; sed cum Stephanus de Borbone, de quo agitur, omnium judicio sit homo prudens et gravis, suspicari licet Alanum, quo tempore multi insignes viri, Cistercio profecti, sanam veramque doctrinam contra errorum, qui passim irrepserant, fautores, in Gallia Narbonensi propugnabant, — nostrum Alanum, inquam, hujus divinæ disciplinæ Montispessulani, haud procul a civitate Albigensium, erroris impugnandi gratia, tradendæ munus accepisse. Quo quidem accepto, nonnulla facta Alani in clariore lumine, nostra quidem sententia, ponuntur : ex eo enim scire potest quare cum erroribus, qui per Galliam Narbonensem et Aquitaniam proruperant, tam vehementer decertaverit; quare librum *de Distinctionibus Dictionum Theologicarum* Ermengaldo, abbati Sancti Ægidii, haud procul Montepessulano, necnon Gulielmo VIII°, qui imperium regebat Montispessulani, et quocum familiarissime vivebat, libros *de Fide Catholica* dicaverit[2].

[1] Stephanus de Borbone de Alano dilucide scribit : « *Pluribus annis scholam theologicam regit Montispessulani.* » Stephanus ille Bellavilla oriundus, anno 1261 e vita migravit. Liber, qui inscribitur *De Donis septem S. Spiritus*, nunquam fuit typis mandatus; varia tamen hujus operis loca in lucem edita sunt a D. Quétif et Achard, in *scriptoribus Ordinis Prædicatorum*. Verba, quæ de Alano protulimus, ex hoc opere decerpta sunt. Quétif et Achard, *De Scriptoribus Ord. Prædicatorum*, t. I, 94. Parisiis, 1719-1721, 2 vol. in-fol.

[2] « Amantissimo Domino suo Willelmo, Dei gratia Montispessulani principi, quem non solum generosi generis titulus insignit, verum etiam generosior mentis generositas præinsignit, Magister Alanus, in omnibus et per omnia suus, opus suum. »

Gulielmus autem ille, VIII nomine dictus, Montispessulani Dominus (1152-1202) cognomento *Sibylla* vocabatur a matre *Sibylla*. Comiti Tolosano adversatus est, et Tolosam cum Anglis obsedit anno 1158; Alexandrum III excepit anno 1162, et anno 1174, Mathildem, Emmanuelis, Imperatoris Constantinopolitani, filiam, duxit uxorem; Catholicæ fidei assertor fuit contra Albigenses hæreticos. Ejusdem quoque pater Gulielmus vocabatur, quem ait Alanus in Clarevallensi monasterio induisse monachum. (*Vita sancti Bernardi*, cap. XXXI.) Bullæus, l. c, t. II, p. 435.

Paucissimi viri proferuntur, cum quibus Alanus de Insulis familiariter vixerit. Ad Ermengaldum et Gulielmum, de quibus modo, addere licet Petrum Cluniacensem priorem, « cujus ad preces » *in Cantica Canticorum Elucidationem* suam

V. — De Virtutibus et de morte Alani.

Hic, quum de hominibus, qui a via recta declinaverant, actum fuerit, maxime oportet, credo equidem, animadvertere qua mansuetudine, qua humanitate in hostes doctrinæ veræ fuerit Alanus, quippe qui ante omnia amorem et benevolentiam in eos commendaverit : quod quidem Alano nostro honori maximo vertendum esse arbitror [1]. Qui vero tam benigno et liberali animo in alios erat, de se nisi humiliter et demisse non sentiebat. Hujus enim viri ea est modestia, ut, si forte in operibus suis de se ipso scribat, semper sui contemnendi causa loquatur [2]. Quæ quidem modestia, ut apprime apparet legenti, causa fuit cur honores ad vivendi modum arctiorem purioremque amplectendum reliquerit, et Cistercium, in monasterium celebre ibi quondam extructum, recesserit. Quapropter non miror quod Cistercii tam humilis fuit ut omnem dignitatem vel utro oblatam constanti animo recusaverit. Quæ vero attinent ad fabulas plus minusve veri similes, quibus discessum doctoris tam magni in solitudinem ornarunt posteri, transcribere supervacuum est. Has fabulas [3] si quis legere cupiat,

composuit (*Opera Alani,* Migne, p. 110); — Episcopum Bituricensem (B. de Sully, 1155-1200, cui *Librum Pœnitentialem;* Papam denique Clementem III nomine, cui opus *de Arte Fidei Catholicæ* dicavit.

[1] Cf. *De Fide Catholica contra Hæreticos,* cap. XXII, XXIII.

[2] Cf. *Elucidationis in Cantica Canticorum* Prologum ; — *De Arte Fidei,* in Prologo, etc,

« Cum multi ad ornandum tabernaculum Dei offerant aurum, argentum, lapides « pretiosos, byssum, coccum bis tinctum, purpuram, *ego... pilos caprarum offero* « (*Exod.,* XXXV). — Et cum multi Salomonis sapientiam, Tullianam eloquentiam, « ad laudem Virginis matris effundunt... ego *pauper scientia, dejectus vita, nullus* « *in gratia, asperitate peccati hispidus,* qualemcumque laudem in honorem Vir- « ginis propono. » (Prol. libri *Elucidat. in Cantic. Cantic.*)

Sed tamen insanum prohibere nequimus Alanum
Quin dubio cæcos ducere calle velit.

(*Lib. Parabol.*, cap. IV.)

[3] Quæ fabulæ videntur originem ducere e compendio quodam vitæ Alani, quod invenitur in initio *Commentariorum in Parabolas* (Lugduni 1501). — Henriquez, in suo *Menologio Cisterciensi* (Autuerpiæ, Plautin, 1630) hos commentarios, quorum auctor ignotus erat, tribuit Matthæo Bonhomme. — Buzelinus, in suis *Gallo-Flandriæ Annalibus,* (Duaci, 1611, 2 v. in-fol., t. I, c. VII, f. 33) ad annum 1294 ; deinde Bullæus, *in Hist. Univers. Paris,* et Vischius, *in Proœmio,* quod præest operibus Alani, idem asseruerunt. Tandem hanc sententiam D. Brial, (*Hist. littéraire de France*), et Vallet de Viriville (*Hist. de l'Inst. publique en Europe au m. âge*) amplexi sunt.

adeat Oudini *Commentaria de scriptoribus et scriptis ecclesiasticis*[1] ubi fuse exponuntur[2]. His tamen fabulis primum satis superque mihi videtur probari modestia ductum fuisse Alanum. Quod quis miretur? Eo tempore, quot et quanti viri, nescio quo impulsu divino, suos suaque bona reliquerint et in monasteria, D. Bernardo præcipuo duce, se abdiderint, nemo est qui ignoret. Deinde certum est nostrum doctorem Cistercii, ut narrant fere omnes posteri, quin etiam, ut testatur scriptor quidam æqualis[3], extremam vitam duxisse. Imo, tanta pietate in Deum vitæque sanctimonia fuit, ut a Johanne Cisterciensi, a Chrysostomo Henriquez, a Ludovico Jacobillio, a Leone Allatio[4], atque ab aliis scriptoribus, inter viros, *Beatos* nomine nuncupatos, adscribi meruerit. Insuper duo volumina Alanum nostrum *Venerabilem* nuncupant : quorum alterum, quod *in Distinctionibus Dictionum Theologicarum* inscribitur, anno 1477 typis mandatum fuit : alterum vero, quod *Regulæ Theologicæ* dicitur, in Bibliotheca Insulensi etiam nunc manu scriptum servatur[5]. Tandem in familia Cisterciensi, die trigesima januarii, natalis dies Alani agebatur. Quapropter, his omnibus compositis, æquo jure nobis concludendum est doctorem nostrum sanctitate præcipua claruisse.

Ferunt multi, inter quos Vischius atque Oudinus, Alanum, anno 1189[6], Lateranensi Concilio, quod in opere *de Fide contra hæreticos* memorat[7], interfuisse, et cum hæreticis pugnasse fortiter[8]. Fabula autem, qua victoriam ejus auxerunt, unius rei tantum fidem facit, maximæ, nempe, ut ante jam dixi, celebritatis, qua claruit Alanus : « Mira et stupenda, inquit quidam auctor, satis sunt de isto egregio « doctore[9]. »

Quidam insuper opinantur Alanum fuisse monachum in Britannia, in monasterio Cantuariensi : quod quidem minime probant, quum

[1] T. II, col. 1387, etc.

[2] Testatur Vischius, in vita Alani, tam firmam, tam constantem his fabulis fidem apud Cistercienses viros superfuisse, ut, vel suo tempore, quisque doctrina clarissimus absurdum reputasset quidpiam harum fabularum in dubium revocare.

[3] Albericus Trium Fontium, l. c.

[4] Johannes Cisterciensis, *In Catalogo Sanctorum ac Beatorum Ordinis Cisterciensis.* — Ludovicus Jacobillius in libro Fulginii, edito anno 1653, qui inscribitur *Cronica della Chiesa, e monastero di S. Croce de Sassovivo,* p. 262. — Leo Allatius, in libro *de Apibus Urbanis.*

[5] Vid. *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque de Lille.* Le Glay, Lille, 1848.

[6] Alii, 1200.

[7] *De Fide contra hæreticos,* lib. II, cap, IV.

[8] Oudinus, *Commentaria in Scriptor. et script. Ecclesiast.*, 1722, t. II, fol. 1386, etc.

[9] A D. Martenne citatus : *Amplissima collectio,* t. IV, col. 51.

hujus sententiæ fautores, inter quos D. Brial, non probationem, sed conjecturam tantummodo faciant[1]. Planissime vero comprobatum manet, si gravissimis testimoniis nonnullorum fides tribuenda est, Cistercii, in monasterio supradicto, anno 1203, ætate admodum confectum Alanum obiisse. Ibi enim tumulus Alani extructus fuit, quo inscripti erant hi versus :

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit.
Labentis sæcli contemptis rebus egens fit,
Intus conversus, gregibus commissus alendis.
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto,
Christo devotus mortales exuit artus.

Quatuor versus posteriores prioribus fuisse additos circa centum annos post ejus mortem scriptores fere omnes duxerunt : quod manifestum apparet omnibus, quoniam Alanus, ut luculente Oudinus probavit[2], anno 1203 mortuus est[3].

VI. — De Fama Alani.

Apertius et plenius de *rebus gestis* Alani difficile est, credo equidem, scribere[4] ; quod autem dicam de illius *fama* memoratu mirabile est : eximiam nempe scientiæ apud æquales et posteros famam propter

[1] D. Brial, *Hist. littéraire de France*, t. XXI, l. c. — Auctor ille memorat Gervasum (*Chronica Carthus.* apud Twysden, col. 1450) ; — Balæum (*Centuria* III, 46) ; — Lelandum (*Commentar. de Scriptor. Britan.*, 191) ; — Bullæum (*Histor. Univ. Paris*, l. c.) ; — Pistseum (*De rebus Anglican. seu de Illustribus Angliæ scriptoribus.*)

[2] Oudinus, *De Scriptor. et script. ecclesiast.*, l. c.

[3] *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, t. IX, p. 229. Paris, 1736. In hoc opere tumulus Alani et inscriptio, quam retulimus, D. Moreau de Montor curante, delineantur.

[4] Quidam auctores contenderunt Alanum nostrum unum et eumdem esse quam Alanum alium, Antissiodorem episcopum. Qui, natione Flandrensis, primum, D. Bernardi gratia et ope, in monasterio Ripatorii (Larivour) extructo Abbas, deinde episcopus Antissiodorensis, denique in monasterio Clarevallensi monachus iterum factus est, ubi mortus est anno 1285. (Oudinus, *De Scriptoribus eccles.*, t. II, col. 1388, et *de Unico Alano.* — Miræus, *Bibliotheca hist. ævi medii, n Chron. Cisterc.* (Berlin, p. 75, 268) ; et in suis *Scholiis in Henricum Gandavensem*, cap. 21 ; — *Biblioth. ecclesiast. sive nomenclatores veteres*, VII. — Brucker, *iHist. crit. philosophiæ*, t. IV, p. 781. — Simler, *De Archithrenio*, p. 75.

In Alanum episcopum, Cf. D. Bouquet, *Script. rer. Gallicar.*, XII, p. 296 ; *Chronica S. Mariani*, auctore Fr. Roberto. — *Gallia Christiana nova*, t. III, p. 293 ; — Henriquez, *Menolog.*, l. c. — Buzelinus, l. c. — Jacobus d'Aula, *Catalog. Episc. Antissiod.* — Lebœuf, *Dissertations*, l. c. — Camusat, *Promptuarium sacr.*

scripta consecutus est. Attamen, ante omnia unum sedulo lectores monitos volo : nempe tertio decimo sæculo, virum quemquam, qui ingenio operibusque insignis apud æquales obtinere meruit famam, paucissimos tantum homines, litteris deditos, in admirationem sui adducere valuisse. Famæ autem, quam adeptus est Alanus, confirmandæ gratia, sit primum venia referendi versus, qui paulo superius quam præcedentes inscripti fuerant tumulo, ingeniumque Alani de Insulis et opera in lucem et adspectum non obscure proferunt :

Subjacet huic lapidi, toti venerabilis orbi,
Alanus Doctor, quem decet almus honor.
Theologis ac philosophis merito sociandus,
Vatibus antiquis nec minor ipse fuit.
Egregie scribens, planxit, docuit, reseravit
Naturam, mores, mystica verba Dei.
Inclyta gesta Jesu cecinit, clarosque triumphos,
Artes depingens, militiamque poli.
Eloquii pictor, morum censor, citharista
Pieridum, fidei belligerator erat.
Hic, mundum fugiens, sub religionis amictu,
Vixit ; adhuc manet hic : en tumulatus adest

Tot enim et tam præclaros libros scripsit Alanus de omni re, ut jure proprio una *theologus, philosophus, historicus, poeta, physicus, belligerator fidei* dictus sit [1]. Inde vir ille tam in scribendo copiosus, ob ejus ingenium

ant. tricass. diœcesis. — Quétif et Achard, *Script. Ordinis Prædicat.*, t. I, p. 194. — Fabricius, *Biblioth. med. et inf. latin.*, Paris, 1734, t. II, p . 75, etc. — *Gallia Christ. nova*, t. XII, Antissiod. diœc. — *Hist. générale du Languedoc*, t. III, p. 129 et seq.

Optime dilucideque probatum fuit hunc Alanum, epitaphio testante (*Gal. Christ. nov.*, l. c.) Insulis *educatum*, non ortum fuisse ; nunquam *Doctoris Universalis* nomen ab auctoribus, qui de eo scripserunt, accepisse nec inter philosophos aut poetas illius ætatis insignes positum fuisse ; — insuper Alanum nostrum nunquam ab Othone de sancto Blasio, Alberico de Tribus Fontibus, Henrico Gandavensi, æqualibus suis, aut a scriptoribus posteris, *episcopum* fuisse designatum ; — alterum tandem mortuum esse anno 1185, alterum vero anno 1203 ; hunc *Cistercii*, illum in *Clara valle* e vita discessisse, ibique, suo jussu, prope D. Bernardum, « ut simul resurgat », sepultum fuisse.

Conf. Camusat, *Promptuarium sacrarum Antiquit. Diœces. Tricassinæ*, Augustæ Trecorum, 1610, in-8°. — Bullæum, *Hist. Univers. Paris*, t. II, p. 433, et t. III, p. 19. — Lebœuf, *Hist. de Paris*, t. II, part. 2, etc.

[1] Gaspardus Jongellinus in *Purpura sancti Bernardi*, § 30, aliud epitaphium versibus gallicanis descriptum, vidit an. 1624, dum Alani sepulchrum visitaret :

Ce grand docte Alanus, qui fust tant admirable,
Rend ce lieu de Cisteaux partout plus mémorable :
Car il y fust convers, berger et serviteur,
Encor y sert d'exemple de vertus et d'honneur,
Donc, vous religieux, convers et tous, passants,
Imitez ce docteur, qui ci-bas est gisant.

magnum et prope immensam doctrinam, duplex cognomen ab auctoribus plurimis gravissimisque accepit insigne : *Magnus* ab aliis quidem, ab aliis vero *Doctor Universalis* nominatus est. Horum verba in laudationibus, quæ in Prolegomenis editionis Antuerpiensis positæ sunt, legere licet. Ex his auctoribus sunt, ut aliqua nomina tradam, Otho de Sancto Blasio, et Henricus Gandavensis (1293), de quibus paulo superius mentionem feci ; auctor *Chronici Belgici*, qui Alanum *Doctorem famosum* nuncupat ; Robertus Holkoh, (circa annum 1349) ; Joh. Trithemius (circa annum 1500) ita loquitur : « Alanus de Insulis... in omni scientia « divina et humana clarus effulgens. *Universalis* meruit appellari. « Scripsit metro et prosa pæne infinita opuscula, quibus memoriam « nominis sui apud posteritatem immortalis facta est[1]. » Ad hos antiquissimos accesserunt quoque plures nonnullius famæ auctores recentiores, Egassius, Bullæus, Gaspardus Barthius, Lilius Geraldus, Joh. Gerardus Vossius, Aubertus Miræus, Du Pin[2]. Adde tandem Alani opera, quotquot inveniri potuerunt, typis mandata Antuerpiæ an. 1654, sub hoc titulo : « Alani *Magni* de Insulis, Sacræ Theologiæ Doctoris, cognomento *Universalis* opera. » Testis est Gulielmus Cave : « Alanus de Insulis, inquit, natione Flander, ob eximiam diffusissimamque eruditionem Doctor *Universalis* dictus[3]. » Unde non miror quod recentiores quoque auctores, licet minus sint proclives ad laudandum, Alanum doctorem non parvi fecerint[4].

Ex iis scriptoribus quosdam, qui de nostro Alano judicium fecerunt, proferendi ante oculos venia nobis tribuatur. Vir eruditione clarus non dubitat scribere Alanum, ut ævo medio, valde mirabilem esse auctorem[5]. Ante omnes recte judicavit *Brucker*, quum philosophorum, qui eo tempore floruerunt, chorum ducentem Alanum ostendit[6] ; eo enim tempore, post Abelardum mortuum, longe omnium philosophorum Alanus clarissimus habetur[7]. *Bulhe* in Alani operibus parum versatus

[1] Joh. Trithemius, *Liber de Scriptoribus ecclesiasticis*, Basileæ, 1497, fol. 77.

[2] Ita Gasp. Barthius : « Mirificum ævo suo scriptorem dicere jure æquo queas ; ita ingenio pollens, eloquio, variorum imitatione, turbido et impete verborum rapitur. » *Advers.*. lib. XIX, cap. IX, col. 980. — G. Barthius, *Advers.*, lib. XV, cap. IX. — lib. VIII, cap. XXIII, col. 409, — lib. XIX, cap. VI, col. 677. — Du Pin, *Histoire des Controverses et des Mat. ecclésiast.*, 2e partie, 660 ; Paris, 1669.

[3] G. Cave, l. c., p. 624.

[4] Ætate media, de Alano nostro proverbium quoddam proferebatur : « C'est celuy duquel se dict le proverbe « *Sufficiat vobis vidisse Alanum.* » — Antonius du Verdier, *Bibliothèque française*, 1772. t. III, 34.

[5] Legrand d'Aussy, *Notice et extraits des Mss. de la Bibl. du Roy, publiés par l'Institut*, t. V, p. 546, etc.

[6] Brucker, *Hist. Critic. Philosoph.*, t. III, p. 780. Lipsiæ, 1766. 6 vol. in-4o.

[7] H. Martin, *Histoire de France*, t. III, p. 368.

mihi videtur, quum ex eis pleraque oblivione oppressa fuisse putet[1]. *Tennemannus* Alanum in rebus, quæ pertinent ad Philosophiam, geometricas et mathematicas probationes adhibuisse animadvertit : quod quidem judicium ad librum de *Arte Fidei* jure æquo referendum puto, minime vero ad ceteros Alani libros; ex quo suspicari licet hoc unum opus tantummodo in manibus hujus auctoris fuisse[2]. Multo accuratius doctorem nostrum perspexerat *Jordanus;* sed, quamvis Alani ingenium minimi non fecerit, in ejus operibus quæsivit præcipue indicia, quæ pertinerent ad historiam philosophiæ, et tantum Alani opera poetica perlegit[3]. Optime scriptor ille, qui *Philosophiæ in Gallia per ævum medium historiam* scripsit, postquam in medio posuit Bernardum Carnutensem, qui seculo undecimo florebat, imitatione expressum esse in *Anticlaudiano* carmine, philosophum poetamque insignem ingenio et lingua nostrum doctorem prædicavit[4]. Alani philosophiam majoris adhuc faciebat *D. Rousselot :* cujus tamen sententia, quum auctoris nostri carmina tantummodo perlegerit, parum perfecta atque absoluta nobis videtur[5]. Hi adjungatur scriptor insulensis, qui sententiam, quam de rebus variis ad philosophiam pertinentibus protulit Alanus noster, haud læve disquisivit[6]. Tandem, ut cetera paucis verbis absolvam, nemo magis dilucide, magis magnifice, magis recte de Alano scripsit quam *Hauréau,* in opere quod inscribitur *De Philosophia Scolastica*[7]. Attamen forte res fictas et bene poeticeque inventas, quæ leguntur in Anticlaudiani carmine, pluris æquo existimat. De ceteris auctoribus nihil dicam : nihil aliud enim, nisi vanum, inane, ne flocci quidem faciendum, scripserunt[8].

Cognomine *Universalis Doctoris* satis constat Alanum fuisse unum ex his Doctoribus eximiis, quibus hæc tempora tanto splendore claruerunt. Horum enim quisque suum ea virtute, qua præcipue enituit, cognomen accepit, quo ab æqualibus posterisque appellari consuevit. Inter præstantissimos vero, Sanctum Anselmum dico, Gulielmum Campellensem, Petrum Abelardum, Arnaldum Bresciensem, Sanc-

[1] Bulhe, *Histoire de la philosophie moderne.* Traduction de M. Jourdain.

[2] Tennemann, *Geschichte des Philos.*, t. VIII, p. 289.

[3] Jourdain, l. c., p. 27; Note I, p. 279, etc.

[4] Duc de Caraman, *Hist. des Révolut. de la Phil. en France pendant le moyen âge jusqu'au* XVI[e] *siècle.* Paris, Ladrouge, 3 vol. in-8°, 1848.

[5] Rousselot, *Etudes sur la Philosophie du moyen âge.* Paris, 1842, Joubert, 3 vol, in-8°.

[6] Dupuis, *Essai de Phil. Scolast.*, Lille, 1856; Alain de Lille.

[7] Hauréau, *De la Philosophie scolastique.* Paris, Paguerre, 1850, 2 vol, in-8°, t. I, p. 345, etc.

[6] *De la Scolastique* (*Encyclopédie nouvelle,* année 1841.)

Cf. Varia opera quæ nomine « *Biographias* et *Encyclopedias* » nuncupant.

tum Bernardum, Hugonem et Ricardum a Sancto Victore, Petrum Lombardum, *Sententiarum* magistrum insignem, Alanus noster, ingenio clarus, dignus sane fuit qui inter tot et tantos viros non obscurus esset. Itaque Doctor *Universalis* in studiis et scholis locum obtinuit non humilem, nec ejus successores (ut præcipuos proferam) Alexander Alesius, cognomine dictus *Doctor Irrefragabilis,* Albertus *Magnus*, Sanctus Bonaventura, Doctor *Seraphicus,* Sanctus Thomas Aquinas, Doctor *Angelicus*, Dunsius Scotus, Doctor *Subtilis,* Rogerius Baco, Doctor *Admirabilis,* Egidius Colonna, Doctor *fundatissimus,* Gulielmus Occanus, Doctor *Invincibilis*, Durandus de Sancto Porciano, Doctor *Resolutissimus,* neque illi omnes, inquam, neque ceteri memoriam Alani, Doctoris *Universalis,* in oblivionem adduxerunt. Et merito quidem ; nam ex omnibus Alani operibus evidenter apparet hæc cognomina *Magnus* et *Universalis* ei optime convenire, sed in primis ex *Anticlaudiano,* quem mox fusius sum explanaturus.

Quidnam autem hujusmodi *Universalis* cognomen significet, accurate nunc describere operæ pretium est. Spe sane sua deciperetur is, qui in operibus Alani res novas et, pro illa ætate, prorsus mirandas perquireret ; qui vero inquireret apud Alanum disciplinas eo tempore vigentes, apud nullum auctorem, credo equidem, invenire posset summam rerum tunc cognitarum ordine et dispositione melius distributam collocatamque. At sæpissime non dubitant a scriptoribus ævi medii res difficiliores et, ut in illa ætate, nimis arduas acerbius exigere. Nobis magis æquum videtur inquirere tantum quanam ratione ac via res in medio positas conjunxerint, exposuerint probaverintque. In hoc scribendi genere Alani opera in exemplum adduci posse vel minus attendenti manifestum est ; nulla enim disciplina, quæ pendet ex artibus ingenuis, imo ne ulla quidem doctrinarum, quæ ab his artibus sunt alienæ, Doctorem *Universalem* præterivit. Etenim in admirationem adducor, quum in ejus operibus animadverto loca, in quibus, ita de *jure,* de *arte medendi,* de *alchemia*, de *historia* loquitur, ut minime dubium esse possit quin has disciplinas studio et amore prosecutus sit. Quid plura ? Ita in *Anticlaudiano* summa rerum continetur, ut illud opus vera et mera κυκλοπαιδεία sit et nominetur. Quæ cum ita sint, ex *Anticlaudiano* carmine, accedentibus aliis Alani operibus, prorsus aliquis describere posset qua conditione, duodecimo seculo labente, disciplinæ fuerint [1]. Ut autem in clariore lumine ponamus Doctorem *Universalem* tam eximiam laudem æquo jure nactum esse,

[1] Hæc opera nos longius ab incœpto detraheret. Alias, jam delineatum adumbratumque fuit illud opus a D. Lebœuf. Cf. Dissertationes ad *Historiam Paris,* adjunctas : *État des lettres et des sciences au* XII[e] *siècle.*

absolutum et perfectum indicem omnium operum, quæ scripsit, cum typis mandatorum, tum adhuc manu scriptorum, instituere licebit.

VII. — Alani opera tum scripta manu, tum typis mandata.

Quadraginta quinque vel saltem quadraginta libros in lucem protulit, e quibus decem et octo typis mandati sunt; ceteri vero aut amissi sunt incuria hominum, aut in tenebris adhuc passim jacent manu scripti [1]. Quo vero melius quisque percenseat quam multa et varia scripserit Alanus, primum ponemus libros aut amissos, aut etiamnunc manu scriptos; deinde libros ad lucem prolatos; ad utramque autem seriem ordinandam describentur : — 1° Opera quæ ad religionem aut mores referuntur; — 2° Opera quæ pertinent ad philosophiam; — 3° Opera quæ ad res varias et diversas spectant; — 4° Tandem opera poetica.

I° Opera Alani amissa aut manu scripta.

I. — Opera quæ ad religionem aut ad mores referuntur.

Doctorem *Universalem* Trithemius « innumeras lectiones » (Trithemius, *De Scrpt, eccles., l. c.*), in libros, quos Christiani *sacros* vocant, scripsisse nobis tradit; imo asserit quidam « *has lectiones omnem Scripturam Sacram comprehendere.* » (Schedell, *Chronica mundi*, l. c.) Quarum interpretationum non paucæ aut passim inveniuntur, aut nomine saltem designantur.

1. — *In Pentateuchum,* seu *in Moysen liber.* — Joh. Trithemius, *l. c.* — Haenel, *Catalog. Bibliot. libr. man.* p. 760. — Periit.

2. — *In prophetas liber.* — Trithemius, loc. c. — Periit.

3. — *Ternarium* seu *Expositionis de Evangeliis liber.* — Haenel, *Cat. libr. manusc.*, p. 475. — In Bibliotheca Tolosana, secundum *Haenel,* servatur manuscriptus.

4. — *Super orationem Dominicam liber.* — Vischius. *Biblioth. script. Ordin. Cisterc.* — Periit.

[1] Quonam vero tempore tam multa opera composuerit, designare multum difficultatis habet. Attamen, omnibus perspectis atque perpensis, viginti intra annos XII sæculi ultimos Alanum scripsisse suspicari possumus. Cf. D. Brial (*Hist. littér. de France*) qui majore ex parte hunc laborem confecit et absolvit. Cui si qua fides nobis tribuenda sit, *Liber de Arte Fidei* compositus fuit ad anno 1187 ad an. 1191; — Lib. *de Distinctionibus* ad an. 1179 ab an. 1195; — *Lib. de Pœnitentia* ab an. 1179 ad an. 1192; — *Lib. de Fide contra hæret,* ab an. 1179 ad an. 1202; — *Lib. Comment. in Merlini Proph.*, ab an. 1187 ad an. 1183. — Nihil certius asseverari potest.

5. — *Ternarium de Apostolis.* — Trithemius, *l. c.* — Vischius, *l. c.* — Periit.

6. — *Alani Expositio in Sermones S. Augustini.* — Juxta Haenel, (loc. c.) in Biblioth. Tolosana manuscripta.

7. — *Dictionnarium Theologicum,* seu *de Diversis Sermonibus.* — In Biblioth. publica, Parisiis, invenitur quidam codex manu scriptus sic inscriptus; nº DLXXXXIX, in-fol. (fund. Colbert) — A. B. Pez. hic liber memoratur. (B. Pez., *Thesaurus Anecdoctorum*, Augustæ Vindelicorum, 1721, 5 vol.in-fol., t. II, p. 476.)

8. — *Tractatus de Virtutibus et Vitiis.* — Manuscriptus invenitur Parisiis, in Biblioth. publica, nº III MCCXXX, VIII^{f}, p. 86.

9. — *De Quatuor Virtutibus,* mss. in-4º, in Biblioth. publica, Argentorati, invenitur.

10. — *De Unica Celebratione in die liber;* a Vischio memoratur in *Biblioth. Scrip. Ordin. Cisterc.* l. c. — Periit.

11. — *De Timore humano præcavendo, et spe cœlesti radicanda.* — Memoratur in *Fastis Campilliensibus* a D. C. Hauthler, Lincii 1747, 3 vol. in-fol. — Periit.

II. — Opera, quæ ad Philosophiam pertinent.

12. — *Paradoxa de Maximis Generalibus.* — Citatur a D. Pez, *Thes. Anecd.* — *Hist. litt. l. c.*) — Periit.

13. — *De Intelligentiis* seu *Memoriale rerum difficilium.* — Memoratur a B. Pez. *loc. c.* Sic incipiebat : « Summa in hoc capitulo nostræ intentionis est rerum naturalium difficiliora colligere. » B. Pez hunc librum manuscriptum se vidisse in bibliotheca quadam (Lilienfeld [1]) asseritur. — *Hist. litt. de France, l. c.* — Periit.

14. — *Super Sententias, lib. IV.* — Trithemius, l. c. — Possevinus, (*Apparatus sacer, l. c.*) notationes *in Sententias* P. Lombardi tam eo tempore claras hoc opus esse putat. Tot vero scriptores, inter quos Gulielmus Campellensis et Hugo a Sancto Victore, sententias suas in lucem protulerunt, ut minime pro miro habendum sit quod suas sententias Alanus ipse scripserit. — Periit.

III. — Opera, quæ ad res diversas spectant.

15. — *Quæstiones naturales.* — D. Pitra (*Spicilegium Solesmense,* t. II, p. 70, et t. III, pp. LXXIII et 55) hujus operis locum transcripsit ex codice quodam manu scripto (*Biblioth. public. Paris,* nº 201, in-4º. — Fund. *Notre-Dame.*).

16. — *Arithmomachia,* seu *Rhythmomachia,* seu etiam *Rhythmarchia,* — Attribuitur Alano ab *Hist. littér. de France*, t. XIII, p. 113, et t. XIV, p. 358. — Periit.

[1] Vicus quidam Austriæ.

17. — *De Accusationibus, Inquisitionibus*, et *Denuntiationibus.* — Sanderus, *l. c.* — Periit.

18. — *De Simonia, de Hæresi, et de Matrimonio.* — In Biblioth. Tricass. n° 1930. (*Catalogue des Manuscrits des départements,* t. II, p. 795.)

19. — *Quotlibeta.* — Memoratur a Trithemio, *l. c.* — Periit.

20. — *Dialogi aliquot.* — Memorantur a Sandero, *l. c.* — Perierunt.

21. — *Epistolæ ad diversos, lib. I.* — Memorantur a Trithemio, *l. c.* — Periit.

IV. — Opera poetica.

22. — *De Ratione Metrorum et Syllabarum.* — Memoratur a Barthio (*Comment in Guil. Britonis Philippidem,* p. 200). Quæ quidem ars poetica periit.

23. — *In Apocalypsim.* — Parisiis, in Biblioth. publica invenitur n° III MCCLXVIII (fund. Colbert). — Nullus ex æqualibus Alano opus illud tribuit.

24. — *Oculus moralis.* — Memoratur a Fabricio, *l. c.*, — a Sandero, l. c. — Periit.

25. — *De triplici mundo.* — Ab iisdem auctoribus, *l. c.* memoratur. — Periit.

26. — *Hymni in laudem S. Magdalenæ.* — Parisiis, in Biblioth. publica, n° III MCCXXXVII.

27. — *Gnomorum lib. IX.* — Memoratur a Barthio, *Commentariorum libri sexaginta,* lib. XXXI, cap. IX. — Periit.

II. — Opera Alani typis mandata.

I. — Opera quæ ad religionem et ad mores referuntur.

28. — *Liber Pœnitentialis*, seu *de Pœnitentia ad Bituricenses.* — Dicatur Episcopo Bituricensi (B. de Sully). Typis mandatus fuit a D. Vischio; Antuerpiæ 1654, in-fol. — a D. Migne, Parisiis, 1855, in-8°,

29. — *Elucidatio in Cantica Canticorum ad laudem Virginis Matris.* — Typis mandata an. 1540. Parisiis, J. Kerner, in-16.

30. — *De Sex Alis Cherubim.* — Typis mandatum opus a D. Vischio, 1654, — et a D. Migne, 1855. — Insuper in operibus S. Bonaventuræ non semel invenitur : Vatican. edit. 1587. — Mogontiaci, 1619. — Manu scriptum adest in Biblioth. Tricass. (*Catal. des Manuscrits des Biblioth. des départements*, p. 775.)

31. — *Liber sententiarum,* seu *Liber Dictionum mirabilium.* — Mandatum opus typis a D. Vischio 1654, et D. Migne, 1855.

32. — *Liber de Distinctionibus.* — Exstat hujus libri editio vetustissima, rarissimaque, qua usus est D. Migne, (1855,) quæque in Biblioth. Insulensi, testante D. Pitra, invenitur. (D. Pitra, *Spicilegium Solesmense.* Paris, Didot, 1855, t. II, p. XXV.)

33. — *De Arte Prædicatoria.* Mandatum typis opus a D. Vischio, 1654, et a D. Migne, 1855.

34. — *Sermones octo.* a D. Vischio, 1654, et Migne 1855, typis dati.

II. — Opera quæ ad Philosophiam Theologiamque pertinent.

35. — *De Fide contra hæreticos.* — « Alani insignis Theologi adversus hæreticos et Valdenses, qui postea Albigenses dicti, nunc primum e Bibliotheca Papirii Massoni editum a J. Massono, archidiacono Baiocensi. » Parisiis, Petrus Chevalier, 1618, in-8°. A D. Vischio, 1656, insertum est in edit. secunda *Biblioth. Script. Ordin. Cisterc.* Coloniæ Agrippinæ, apud Joh. Busæum, 1856, in 4°, p. 411. — a D. Migne, 1855.

36. — *De Arte*, seu *de Articulis Fidei Catholicæ lib. V.* — Primum typis mandati sunt a B. Pez *in suo Thesauro Anecdot.* Angustæ Vindelicorum, 1721, in-fol., t. II, p. 475. Deinde a D. Vischio, 1654, et D. Migne, 1855. Manu scripti etiam inveniuntur Parisiis, in Biblioth. pub., n° VI MDLXIX, 13°.

37. — *Theologicæ Regulæ*, seu *Regulæ cœlestis vitæ*, seu *Doctrinale altum.* — Vischius hoc opus manu scriptum se vidisse in Biblioth. Dunensi testatur (Visch,, *Bibl. Script. Ord. Cisterc.*, *l. c.*); nescio tamen quo pacto non typis illud mandavit. — In lucem editum fuit a D. J. Aloysio Mingarello, *Anecdoctorum fasciculus,* Romæ, Monaldini, 1754, in-4°, p. 175, — a D. Migne, 1855.

III. — Opera quæ ad res diversas spectant.

38. —*De lapide philosophico.* — Hic liber primum Lugduni Batavorum mandatus est typis Raphelengii, 1600, una cum *Secreto Chemico,* Jodoni Grenerii, in-8°. Deinde in *Theatro Chemico.* Argentorati, 1659, 6 vol. in-fol., t. III, p. 761.

39. — *Explanatio in Prophetias Merlini.* — Mandata Francofurti typis Joachim Spessii, in-8°, 1603.

40. — *De Natura Animalium,* seu *de Naturis quorumdam animalium lib. II.* — Typis mandati in Bestiario ; *Opera Hugonis a S. Victore.* Rothomagi, 1648, in-fol., t. II, p. 478. — Patrologia, t. CLXXVII. — Alano tribuitur.

IV. — Opera poetica.

41. — Poema quod inscribitur *A Deo semper incipiendum*, ad calcem *Anticlaudiani* a Vischio et Migne in lucem editum.

42. — *Parabolæ,* seu *Doctrinale minus.* — Multi codices hujus operis manu scripti inveniuntur, inter quos Parisiis, in Biblioth. publica, III MCCCLIX, 8°. Sæpissime *Parabolæ* typis mandatæ sunt, præsertim Daventriæ, 1492 — Lugduni, 1501 — Lipsiæ, 1516 — Lugduni, 1536 — apud Vischium, 1654 — apud Leyserum, *Hist. poem. et poet. ævi medii*, Halæ Magdeb., 1721, in-8°, p. 1064. — Parisiis, 1855. Non minus quam triginta quatuor editiones hujus operis indicantur.

43° *De Natura hominis fluxa.* — A Buzelino, Bullæo, Vischio, et Migne in lucem hoc opus editum fuit.

44° *De Septem Artibus*, seu *de Incarnatione Christi.* — Apud eosdem.

45° *De Planctu Naturæ poema.* — Editionem vetustissimam, hodie amissam memorat Hain (*Répertorium Bibliograph.*) Lyptzik, (sic), per Arnoldum Coloniensem, an. gratiæ 1494, in-4°. — Iterum in lucem editum fuit a D. Vischio, 1654, et Migne, 1855.

46° *Anticlaudianus,* seu *de Officio viri boni et perfecti libri IX.* Quod poema sæpe typis mandatum invenimus : de hoc autem opere clarissimo brevi fusius dicturi sumus.

Exstant insuper duæ editiones quæ multa Alani opera continent : una, procurante D. C. Vischio, priore Dunensi, Antuerpiæ, 1654, in-fol. [1]; — altera, accurante D. B. Migne, Parisiis, 1855 [1].

[1] « Alani *Magni* de Insulis, sacræ Theologiæ Doctoris cognomento *Universalis.* « — Opera moralia, parænitica et polemica quæ reperiri potuerunt, quorum pleraque nunc primum ex antiquis manu scriptis codicibus eruta luci dantur, « opere et studio R. D. Caroli de Visch, priori Cœnobii Beatæ Mariæ de Dunis, « S. Theologiæ professoris... » Antuerpiæ apud Gulielmum Lestenum et Engelbertum Gymnicum, via vulgo *Hoochstraet* dicta, sub *Pelicano aureo,* an. MDCLIV In hac editione continentur : Elucidatio in Cantic. Canticorum. — De Arte Prædicatoria — Sermones — Liber Sententiarum — De sex alis Cherubim — Pœnitentia — De Fide contra hæreticos — De Planctu naturæ — Anticlaudianus — Rhythmus de Incarnatione — De natura hominis fluxa.

[2] Alani de Insulis, Doctoris *Universalis,* opera omnia, accurante J.-B. Migne, Parisiis, apud J.-B. Migne, editorem, in via dicta *d'Amboise.* Ad opera, quæ in præcedenti editione reperiuntur, adduntur — De Arte Fidei — Regulæ Theologicæ — Distinctiones Dictionum Theologicarum.

PARS PRIMA

DE ANTICLAUDIANO

I. — Quantam ex Anticlaudiano gloriam Alanus acceperit.

Ex omnibus libris, quos edidit in lucem Doctor Universalis, nullus majorem laudem quam *Anticlaudianus* adeptus est. Etenim, ut probetur quanto in honore fuerit *Anticlaudianus*, ea fuit elegantia, ea vis et doctrina, qua redundat, ut per omnes scholas diffusus sit, nec minus quam opera præclarissima amorem et, ut hoc verbo utar, favorem omnium consecutus fuerit. Nam Eberhardus Bethuniensis, seculi tertii decimi scriptor, in *Græcismo*, seu *Libro de figuris deque octo partibus Orationis*, quum recenset poetas clarissimos, qui eo tempore in scholis perlegi erant soliti, Alanum et ejus *Anticlaudianum* meminit his verbis :

> Septenas quis alat artes describit Alanus,
> Virtutis species proprietate docet [1].

Eodem tempore non aliter loquitur auctor poematis, quod inscribitur *Pugna septem Artium*, quum *Anticlaudianum* inter opera, quæ in Universitate Parisiensi amore peculiari assiduoque studio discipuli prosequebantur, commemorat [2]. Jam, quo tempore floruit, Alanus dicebatur *Anticlaudiani scriptor* : « Multa

[1] Eberhardi *Græcismus*. Parisiis, 1487, in-fol. — Cf. Fabricium in *Bibliotheca med. et inf. latinit.*, t. II, p. 75. — *Histoire littér. de France*, XVI, 398-407, 408.

[2] Cf. illud carmen, *Notices des Manuscrits publiés par l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, t. V, p. 555.

« conscribens exposuit, inquiebat Otho de Sancto Blasio; inter « alios librum, qui intitulatur *Anticlaudianus* [1]. » — « Scripsit « metrice poeticem, addebat Henricus Gandavensis, excogitata « materia de viro optimo et in omnibus perfectissimo, quem librum « vocavit *Anticlaudianum* [2]. » Tandem Albericus de Tribus Fontibus, æqualis ipse Alani, scribebat : « Apud Cistercium mortuus « est hoc anno (1203) Magister Alanus de Insulis, Doctor famosus « et *scriptor Anticlaudiani* [3]. » Ea verba aut similia, omnes posteri, ne uno quidem excepto, usurpant.

Famosus igitur, imo *famosissimus,* ut infra videbitur, habebatur auctor qui *Anticlaudianum* in lucem protulerat. Quod poema non minus quam *Alexandreidem* Gualterii de Castellione perlegebant, ita ut quæ de hoc dixit Henricus Gandavensis, eadem quoque de illo non immerito dici possint : « Qui liber tantæ dignitatis est hodie, ut, præ ipso, veterum poematum lectio negligatur[4]. » Nullum igitur e suis operibus Alano majori fuit laudi : quæ tanta fuit ut Alanum *Auctorem Anticlaudiani* scribendo dixerint æquales et posteri omnes, quos antea protulimus.

Inde facile intelligitur quare haud ita multo post Alani mortem, *Anticlaudianus* positus fuerit in numero librorum quos magistri, ut *Librum Sententiarum,* explicare et enodare soliti erant. Inter viros, qui peculiarem in poemate nostro evolvendo operam posuerunt, et ad communem omnium utilitatem, necnon ad ingenii sui exercitium ornarunt commentariis *Anticlaudianum,* quidam præcipui annotantur, Adamus nempe de Basseya, Radulphus de Longo Campo, Gilbertus Antissiodorensis, Robertus de Sorbone.

Adamus de Basseya [5], canonicus Insulensis, vir suo tempore doctrina clarus, circa annum 1400, teste tum Landero, tum Leysero, et quibusdam aliis, vixisse creditur; seu veri similius videtur circa annum 1300 scripsisse [6]. Etenim, inter varias res, quæ

[1] Otho de Sancto Blasio, l. c.
[2] Henricus Gandavensis, l. c.
[3] Albericus de Tribus Fontibus, l. c.
[4] Cas. Oudinus II, 1666.
[5] Basseya (*La Bassée*) dicitur vicus quidam apud Insulam.
[6] Docteur Le Glay, *Mémoires sur les Archives du Chapitre de Saint-Pierre de Lille.* — Lille, 1856, 2e série, vol. III, p. 153 des *Mémoires de la Société des Sciences de Lille.* — Titulus quidam anni 1305 Adamum memorat, quasi recenter mortuus esset, p. 18. — L'abbé Carnel, *Chants liturgiques d'Adam de la Bassée*

Anticlaudiano Alani ab Adamo additæ fuerunt, invenitur dialogus quidam *in casus adversos Fortunæ* prorsus dignus qui indicetur. In hoc loco ante nostros oculos profertur Fortuna, quæ Petri de Clepsedra ex alto fastigio dejecti et ad furcam servati querimoniam et fletus irridet. Tunc enumerantur varia ludibria Fortunæ, et præsertim casus adversi, quibus Bertrannus et Simon, qui ambierant principatum, hic in Britannia, ille vero in Flandria, subito erant deturbati :

Sic ruit Flandrensium cupidus honorum,
Bertrannus se dominum simulans illorum,
Symonque dominium ambiens Anglorum.

Bertrannus autem ille quis esse potest, nisi is qui, quum Balduinum nomen usurpasset, anno 1235, in suo vitio plexus est capite? Simon autem, de quo hic agitur, in fugam versus extremas pœnas, Henrico III regnum tenente, jure solvit anno 1265. Tandem Petrus de Clepsedra anno 1278 morte damnatus est : unde similius veri videtur facta, quæ, ceteris postpositis, Adamus in exemplum profert, non multo ante Petri illius mortem evenisse. Quapropter credunt Adamum de Basseya circa annum 1300 scripsisse [2].

Is Anticlaudianum tanti fecit, ut illud opus « tersis et politis « versibus in compendium redegerit, et huic inde digressionibus « moralibus doctissimis diversisque odis spiritualibus illustrave- « rit. »

Quod opus ipsemet auctor vocavit : « *Ludus Adæ de Basseya,* « *canonici Insulensis, in Anticlaudianum magni Alani de Insu-* « *lis.* » In prologo ita loquitur : « Recreationis cujusvis solatio indi- « gens, pratum *famosissimi* quondam viri et gratiæ excellentis, « Magistri Alani de Insula, adii, ut in eo colligerem flores odorife- « ros et prædulces. » Adumbratio illa *Anticlaudiani* hodie rarissima est. Hujus tamen in Bibliotheca Insulensi invenitur codex valde mirabilis, XVI° seculo manu scriptus, ex bibliotheca capituli Sancti Petri Insulensis acceptus.

Historia litteraria alium commentarium, quem vir ex Anglia oriundus familiæque Cisterciensi adjunctus, nomine dictus Radulphus de Longo Campo, composuit, memorat. Hujus vero scriptoris

(quæ carmina ponuntur in fine *Anticlaudiani* sui), Gand. 1858, in-8°. — Juxta hunc auctorem, Adamus an. 1280 obiit.

[2] Dupuis, l. c.

non indicia nisi rara reperiuntur : hunc tamen dicunt omnes disciplinas divinas humanasque studio et amore prosecutum [1], et cum Alano amicitia et usu junctum esse. Quoddam enim hujus commentarii exemplar Parisiis invenitur sic inscriptum : « Radulphi de Longo Campo, *Alani olim familiaris,* commentarius [2]. »

Breviores insuper memorantur duo commentarii, ex quibus unum in lucem edidit Gilbertus Antissiodorensis, vir, ni fallor, jam admodum ignotus ; alterum autem Robertus de Sorbone, clarissimus Sorbonicæ domus conditor. Uterque in loca *Anticlaudiani*, aut pulcherrima, aut obscura et difficiles habentia explicatus, animadversiones concisas præsertim composuit [3]. Tandem adumbrationem *Anticlaudiani* quamdam, gallicis versibus scriptam, et jam a *Vischio* et *Labbe* memoratam [4], *Legrand d'Aussy* indicavit. Quæ quidem, valde mirabilis, si hujus auctoris testimonio tribuenda sit fides, Alani poemati anteponenda est. Qui tamen et *Anticlaudianum* et hujus imitationis summam, quæ nobis traditur, legerit, perfacile auctorem prædictum in errorem inductum fuisse intelligere poterit [5].

[1] Cf. D. Montfaucon, *Bibliotheca Bibliothecarum,* t. II, p. 1253 : « cunctas res divinas et humanas continens. »

[2] Juxta Montfaucon, commentarius ille manu scriptus invenitur in Anglia (Oxford, *Biblioth. du Collège Bailleul*); juxta Hænel (l. c.) in *Biblioth. dicta de l'Escurial.* — Duo codices sunt Parisiis, in Biblioth. publica. Pulcherrimus alter (nº VIII MCCI, fund. Colbert) sic inscribitur : « *Compendium Anticlaudiani ad modum historiæ translatum sequitur.* Magister Alanus peritus quidem in multis scientiis, etc... ». Alter vero XIIIº seculo scriptus (nº VIII MCXXXIII) sic inscribitur : « *Alani de Insulis Anticlaudianus.* Accedit Radulphi de Longo Campo, *Alani olim familiaris,* commentarius. » Anteponuntur duo proœmia, quorum unum sic incipit : « Licet equidem hujus libri qui Anticlaudianus inscribitur, altitudinem tentari non possit... ; » alterum autem his verbis : « In principio hujus voluminis visendum est... »

In Radulphum de Longo Campo, Cf. Pisteum, *Oper. cit. ; in Appendicibus,* cap. LXIX. — Balæum, *Centur.* XII, 13. — Vischium, *Biblioth. Ord. Cisterc.,* p. 283. — Fabricium, *Biblioth. med. et inf. latinit.*

[3] Commentarius Gilberti Parisiis, in Biblioth. publ. invenitur (nº VIII MCCXCIX, His verbis inscribitur : « *Alani de Insulis Anticlaudianus. Accedunt Gilberti Altissi odorensis commentarii.* » Codex ille XVº seculo scriptus fuisse videtur. Commentarius Roberti de Sorbone, Parisiis quoque in Biblioth. publ. reperitur (nº XIII MCCC) : « *Incipit glosa Roberti de Sorbone.* » Scriptus quoque XVº seculo fuisse videtur. — Ad calcem horum operum quatuor versus, quos modo transcribemus (p 31) reperiuntur.

[4] Labbe, *Biblioth. manusc.,* l. c. — et Vischius, *Bibl. Ord. Cisterc.* l. c.

[5] Legrand d'Aussy, *Notice sur un poème intitulé l'Anticlaudien. nº 7632, vélin in-folio p... qui paraît avoir fait partie de la Bibliothèque de Charles V ou de son*

Anticlaudiani codices manu scripti multi passim in Europa, et præsertim in Gallia exstant : septem etiam in Bibliotheca publica Parisiis, etiamnunc inveniuntur [1]; quorum pulcherrimus sane omnium inter quinquaginta libros, qui supersunt ex illa insigni bibliotheca a Carolo quinto creata, adscribitur [2]. Tandem, in Bibliotheca Andegavensi, codex manu scriptus servatur, cujus ad calcem sequentes versus quatuor leguntur :

Ut rosa, flos florum, sic est liber librorum,
Metra modernorum superans et metra priorum ;
Vernat enim florum specie cultuque colorum,
Plenus cunctorum doctrinis Philosophorum.

Sæpius typis mandatum fuit illud poema : primum, ut nonnulli putant, Basileæ, anno 1536, apud Henricum Petrum ; deinde Venetiis, anno 1582, Combeis sumptibus, in-12. — Antuerpiæ, an. 1611, et an. 1621, a J. Trognaesio — 1654, a Vischio, — Parisiis, 1856, a D. Migne [3].

Anticlaudianus Alani de Insulis varie et diverse inscriptus fuit :

Anticlaudiani libri IX complectentes κυκλοπαιδείαν *universam.* (Editio Venetiana).

fils Charles VI. — Notices et Extraits de la Biblioth. Nation. publiés par l'institut, t. V, p. 546, etc,

Adumbratio illa (n° 7632, vel. f° p°), auctoris præfati si testimonio tribuenda est fides, eodem tempore, quo vixit Alanus, scripta fuit. Paucos versus hic referre licebit, quibus Natura pingitur :

« Li frons est blanc com fleur de lis,
« Li vers estait un grans délis ;
« Les iex estoiles ressemblaient
« Qui ens au firmament luisaient,
« La bouche est vermeille que rose...
« Le cevieux cresp resplendissant,
« Louc la terre allaient baisant.
« Li cols estait un peu longuais,
« Blanc comme neige et comme lais.
« Li sains qui petit estait
« Disait que vierge le portait. »

[1] Léopold Delisle, *Cabinet des Manuscrits.* (Fonds français, n° 1634, p. 144 - 8083 - 8174 - 8298 - 8299 - 8300 - 8301.)

[2] Quod quidem pro miro minime habendum est, quum illud opus famosum, ut jam diximus, inter libros, quos potissimum in scholis seculo XII° et XIII° discipuli perlegebant, annumeretur.

[3] Duæ editiones, Venetiana (1582) et Antuerpiana (1611), in Bibliotheca publica, Parisiis, inveniuntur, *Catalogue des Livres imprimés de la Bibliothèque du Roi.* Paris, 1756, t. IV, p. 397.

Cuclopediæ Anticlaudiani seu, de Officio viri boni libri. (Edit. Antuerpiana).

Anticlaudianus, seu de Officio viri boni et perfecti, libri novem. (Edit. Vischii).

Tandem, « *Anticlaudiani seu librorum de Officio viri boni et perfecti summarium* ex antiquo codice m^{s} desumptum. (Edit. J. B. Migne).

II. — De Origine Anticlaudiani.

Quonam vero tempore *Anticlaudiani* carmen fuerit compositum parum constat. Attamen, si quibusdam versibus, quos credunt vulgo in Gualterium de Castellione, *Alexandreidis* auctorem, Mœvii nomine designatum, scriptos fuisse, animum advertas, illud opus ante annum 1175 exaratum fuisse videtur. Gualterius enim ille, ævo medio clarissimus, suum poema Gulielmo, Remensi Archiepiscopo, qui munere suo functus est ab anno 1175 ad annum 1202, dicavit. Versus Alani in libro primo, capite quinto, ponuntur :

... Illic
Mævius in cœlos audens os ponere mutum,
Gesta ducis Macedum tenebrosi carminis umbra
Pingere dum tentat, in primo limine fessus
Hæret, et ignavam queritur torpescere musam.

His versibus Gualterius respondit :

Mævius immerito, te judice, dicor, Alane,
Judice me, Bavius diceris, et merito.

Hi duo *alterni versus longiusculi* (quod quidem est notatione dignum), medii in carmine *hexametris versibus scripto* inseruntur : ex quo forte concludi potest Gualterium *Alexandreidem* suam in duas partes divisisse, quarum prior modo in lucem edita fuit, quum Alanus, nescio qua ratione, qua simultate ductus, versus præfatos scripsit,

... in primo limine fessus
Hæret, et ignavam queritur torpescere musam;

posterior autem, quodam temporis intervallo interjecto, prolata fuit, præcedentibus his verbis :

Mævius immerito, te judice, dicor, Alane,
Judice me, Bavius diceris, et merito.

Sed ut *Anticlaudiani* rationem omnem perspiciamus, necesse est, ni fallimur, revocemus in memoriam qua de causa fuerit scriptus, aut, aliis verbis, cujusnam consilii suum carmen scribendo fuerit Alanus. Primum autem, exemplo aut æqualium aut antiquorum poetarum excitatus ad gloriam, Alanus persuasum habuit præclaræ laudi sibi futurum esse, si rem magnam aggrederetur, vel antea excogitatam saltem arte prorsus nova tractaret.

Scribendi novitate vetus juvenescere charta
Gaudet, et antiquas cupiens exire latebras,
Ridet, et in tenui lascivit arundine musa.

(*Anticl.*; Præfatio altera.)

Sed quum ante omnia sibi proposuerit ut homines doceret et illis prodesset, omnem curam impendit ut disciplinas omnes, cum humanas, tum divinas, amplecteretur. Deinde quum ætatis anteactæ et præsentis præcipuos poetas recogitaret, intellexit quam pulchrum esset cum his auctoribus pro laude inire certamen, et poesim cum scientia rerum humanarum divinarumque conjungere [1]. Ut autem disciplinas ad *philosophiam* et *theologiam* pertinentes poeticis numeris ornaret, et res sæpissime obscuras, et arduas, et multum difficultatis habentes, oculis pingeret feliciter, ad *allegoriam* et *symbolismum*, (detur nobis hæc venia ut istiusmodi verbis utamur), non paucorum æqualium vestigiis ductus, confugit.

Insuper *Anticlaudianus* cum alio quodam ejusdem Alani de Insulis opere, quod inscribitur de *Planctu Naturæ* [2], arcto vinculo ita conjungitur, ut ex eo natus esse videatur. *Planctus* ille forma utitur quam in illustri Boetii de *Consolatione Philosophiæ* opere reperimus; sed de rebus haud similibus tractat. In nostro enim *Planctu* Natura multa de moribus hominum pravis queritur, et vitia, quibus homo impugnatur, objurgando deplorat. Dolorem

[1] Infra videbitur quosnam auctores præcipue adumbratione imitatus sit.

[2] Liber de *Planctu Naturæ*, qui etiam inscribitur *Enchiridion de Natura rerum*, — *De Conquestione Naturæ*, — *Tractatus contra Sodomiæ vitium*, — non semel, ut antea vidimus, typis mandatus et variis lucubrationibus illustratus fuit. Quod opus forma, lineamentis, ordine, carminum et soluti sermonis admixtione, speciem librorum *De Consolatione Philosophiæ* Boetii poetæ omnino et perfecte præ se fert; argumento vero et proposito cum alio quodam XII sæculi poemate, quod inscribitur *De Architrenio*, Joh. Hanvillensis, notabilem habet similitudinem. — Cf. Simler, *De Archithrenio*, pp. 76 et seq.

leniendi gratia statuit Natura quemdam hominem omnibus virtutibus perfectum creare; quod quidem Naturæ consilium ne animo vix attento negligas : nam *Anticlaudiani* carminis ea est causa, is est fons, ea est origo. *Anticlaudiani* autem argumentum effinxit ad formam operis illius, quod Claudianus *in Rufinum* composuit. Illud autem totius fabulæ argumentum evolvendo, per *disciplinas humanas ac divinas*, *Philosophiam* nempe *et Theologiam,* iter mentis humanæ depingit, et multis allegoriis, multis ornamentis, quæ e Capella et Boetio præsertim desumit, auget atque amplificat. In præsenti autem, quum fabulam *Anticlaudiani* adhuc ignoremus, nobis satis erit animadvertere *Anticlaudianum* proposito, re, ordine et librorum numero Capellam clare exprimere, Boetium quoque non semel adumbrare, nonnullis tandem in locis non pauca, tum a Virgilio, tum a Statio aliisque poetis veteribus, mutuari; quæ omnia, quum *Anticlaudiani* poema descripsero, ex argumento locisque transcriptis satis apparebunt, atque in clariore lumine ponentur. Nunc autem, quum *Anticlaudiani* originem, et, ut ita dicam, fontem ostendimus, quanam ratione poetica suum argumentum evolverit ante oculos nobis disquirendum est.

III. — Quodnam scribendi genus Alanus fuerit amplexus?

Anticlaudiani carmen, ut non insulse fuit animadversum ac notatum, non ex casu factum est, quippe quod pertineat ad hanc rationem poeticam, eo tempore prorsus acceptam, veterum operum imitatricem, quam dicunt *dogmaticam* et *allegoricam.*

I. — Alanus, quum omne studiorum genus explorasset, disciplinas eas, quæcumque tunc temporis vigebant, complexus erat. Sed, quæ sibimet ipsi acquisiverat labore assiduo, horum alios quoque homines participes effici cupivit. Quapropter Alano omnia disciplinarum principia in quodam opere contrahendi consilium fuit. Idem Homerum, quum Iliadem Odysseamque composuit, sibi proposuisse non pauci asseveraverunt, ita ut ejus poemata nihil aliud quam disciplinarum tunc valentium summa esse videantur. De Homeri quidem poematibus illud asserere non auderem; optime vero de Alani carmine. Itaque fabula, quam noster poeta

sibi effingit, ut in suo opere complecti possit omnes disciplinas illa ætate vigentes, ex hoc proposito nata, ad illud carminis genus omnino spectat, quod διδασκαλικόν vocant.

Alani *Anticlaudianum* ad poesim *dogmaticam* referri omnes profecto, qui de hoc carmine scripserunt, libenter fatentur. Commentarii enim et explanationes, quibus manu scripti *Anticlaudiani* codices quasi obruuntur [1], multorumque testimonia laudem, qua illud extollitur opus, non aliunde provenire, nisi ex præceptis piisque sententiis et exemplis, quibus redolet, fidem faciunt. Quod nusquam manifestius assertum fuit quam in hujus operis editione prima, quæ inscribitur : « *Anticlaudiani* singulari « festivitate, lepore et elegantia poetæ libri IX, non credibili doc- « trina, ordine et brevitate complectentes τὴν κυκλοπαιδείαν univer- « sam, et humanas divinasque res omnes, in quibus quivis homo « non omnino ἄμουσος occupari meditarique debet, quasque quem « libet non prorsus ἄθεον quadantenus saltem scire aut saltem per « omnia admirari et suscipere oportet [2]. » Alanus ipse, in Prologo, sic loquitur : « In hoc opere resultat gratiose syntaxeos regula, dialecticæ lepos, maxima oratoriæ theseos, communis semita arithmeticæ, matheseos paradoxa, musicæ melos, axioma geometriæ, grammaticæ theorema, astronomicæ hebdomadis excellentia, theophaniæ cœlestis emblema... »

Operæ autem pretium est hic animadvertere omnia fere poemata, quæ illa ætate scripta fuerunt, ad utilitatem et præcepta vitæ esse referenda. Apud antiquos poetas, fateor equidem, multi conabantur,

> Simul et jucunda et idonea dicere vitæ;
>
> (Horat., Art. poet., v. 334.)

« prodesse volebant et delectare ; » nam, ut de veteribus vatibus Horatius ait :

> Os tenerum pueri balbumque poeta figurat,
> Mox etiam pectus præceptis format amicis.
>
> (Horat., Epist., lib. II, v. 126-128.)

Sed minimi pretii fecissent carmina, quæ mentibus minorem

[1] Præsertim ille, qui in Bibliotheca Andegavensi invenitur. Vide quod supra diximus de hac quæstione.

[2] Basileæ, apud Henr. Petrum, mense Martio MCXXXVI, in-8°.

delectationem attulissent. Ejus vero, de qua loquimur, ætatis poetæ ante omnia requirebant ut carmina prodessent animosque formarent. Unde factum est ut Musas, jam ejectas ex Olympo, sed non ideo in exilium missas, poetæ magistras vitæ et disciplinæ constituerint : « Quod si quis, inquit auctor quidam, quod si « quis de filiis Israel mulierem pulchram captam uxorem ducere « voluerit, introducet eam in domum suam et circumcidet ungues, « et radet cæsariem, et deponet vestem. — Hoc moraliter intelligi « potest de libro a philosophis gentilibus tradito, qui, si nobis « placuerit, eo quod multa consonantia veritati inveniantur in illo, « resecatis superfluis, residuum convertere poterimus in utilitates « nostras[1]. » Alias idem : « Tales libros, inquit, *ad eruditionem nos-« tram* eligamus, in quibus honestæ sententiæ ad informationem « morum continentur et mentes legentium ad virtutem vel ad « theologicam disciplinam præparantur[2]. » Non aliter sentiebat Alanus : « Si contigerit aliquando te transferri a libris theologiæ « ad libros terrestris philosophiæ, inquit, *transeundo* aspicias « utrum ibi forte invenias quid, *quod mores instruat, quod fidei « catholicæ competat*[3]. »

Itaque Pierides, quasi monasticam vestem induissent, videbantur nigris vestimentis amictæ, capite ad cutem tonso, manuque virgam tenentes, omnino quidem dissimiles ab iis deabus, in quarum potestate erat, Jove optimo annuente, fovere hominum sensus et delinire animos. Jam tum spectant ut primum ad *Philosophiam*, deinde ad *Theologiam* homines parent, et disciplina humana divinaque ad virtutes christianas animique perfectionem perducant[4]; ea est conditio, id est Musarum munus austerum quidem, sed gravissimum et summa utilitate præcipuum. Quamobrem versus, quibus latini poetæ deos heroasque suos laudaverant, illi, inquam, versus eodem ritu, quo psalmi, cantabantur, omnesque, quas continebant, sententiæ vertebantur in præcepta; sicque Virgiliana carmina significationem exponebant enodabantque, ut Æneis ipsa videretur nihil, nisi præcepta

[1] Cf. *Sermones D. Jacobi Vitriacensis;* Biblioth. publica, Parisiis. Fund. lat. nº 17509, fol. 32. — Raban Maur, *De Institut. Clericor.*, t. III, cap. XVIII; t. VII, cap. CCCXCVI.

[2] *Ibid.*, fol. 31.

[3] *De Arte Prædicatoria*, cap. XXVI.

[4] Hoc est totum *Anticlaudiani* propositum, ut infra dicetur.

ad mores pertinentia, præ se ferre. Itaque, si quando discipuli, poesis illecebris allecti, laudes cujusdam viri versibus persequi vellent, veteres quidem poetas, lectorem delectandi causa, imitabantur; sed tamen in primis sibi proponebant, ut vel canendo docerent : quo factum est ut fere omnia carmina illius ætatis διδασκαλικά fuerint. Quemadmodum victores Romani, ut primum manibus labore induratis et ad aratrum aut ad ensem assuetis opera Homeri, Æschyli, Sophoclis et Platonis, Græcia capta, arripuerunt, statim animo disquisierunt quiddam lucri ex eis percipi posset, ita etiam, operibus Virgilii Horatiique apertis, patres nostri fecere.

Poetas igitur latinos e fructibus, quos in commune bonum producere possent, æstimaverunt; imo nonnunquam quosdam ex eis poetas, minoris quidem artis minorisque ingenii, ingeniis vel præclarissimis prætulerunt, ea tantum ratione impulsi, quod magis prodessent [1]; nec propter aliam causam Virgilii ipsius et omnium, qui unquam fuerunt, opera vix laudem superaverunt, quam obtinuere *Alexandreis* Gualterii de Castellione, et Alani Magni de Insulis *Anticlaudianus* [2]. Etenim præcipua causa cur Alani carmen tantam gloriam, ætate media, adeptum sit, in eo reponenda est quod ad genus *dogmaticum* pertineret, et omnes disciplinas contineret tum divinas, tum humanas.

II. — Sed una mentes formæ pulchritudine et sermonis elegantia scriptor noster allicere voluit. Etenim, ut omnes illius ætatis poetæ, non satis esse arbitratus est homines præcepta et disciplinas docere; sed, quo facilius suaviusque mentes institueret, animos quoque delectare credidit utilissimum. Quapropter, fabulam suam evolvendo, Alanus ad poesim se contulit. Quæ quum ita se res habeat, opus Alani, ut docet mentem, ita quoque delectat animum. Quo vero melius poeticis verbis et numeris res asperas quidem et prorsus involutas illustraret atque ornaret, rationem, qua multi e poetis aut veteribus aut æqualibus usi erant, adhibuit, nempe *allegoricam,* aut, ut aiunt, *symbolicam.* Ita enim in

[1] Johannes Sarisberiensis, de Bernardo Carnutensi, suo magistro, scripsit : « Semper eam materiam proponebat, qua fides ædificaretur, et mores anima« rentur ad bonum. » *Metalog.* Migne, CXCIX, 855, A. — Quod quidem æquo jure de Alano dici potest.

[2] Vid. quod diximus, p, 28.

procemio carminis suam sententiam in lucem profert Alanus: « In hoc opere, inquit, *litteralis* sensus puerilem demulcet audi- « tum; *moralis* instructio proficientem imbuet sensum; acutior « allegoriæ subtilitas perficientem acuet intellectum... Infruniti « homines in hoc opere sensus proprios non impingant, qui ultra « metas sensuum rationis non extendant curriculum; qui, juxta « imaginationis somnia, aut recordantur visa aut figmentorum « artifices commentantur incognita. Sed hi, qui suæ rationis mate- « riale in turpibus imaginibus non permittunt quiescere, sed ad « intuitum super cœlestium formarum audent attollere, mei operis « ingrediantur angustias, certa discretionis libra pensantes quod « sit dignum in aures publicas promulgari, vel silentio penitus « sepeliri? »

Ea enim ratione factum est ut res maxime abstrusæ et abditæ veluti quadam vita et animo ornatæ sint, et rerum formæ omnibus, quæ ad hominem pertinent, virtutibus sint amplificatæ. Personæ enim *Anticlaudiani*, ut *Sapientia, Ratio, Septem Artes Ingenuæ, Theologia,* quas inducit Alanus, corporis humani compage compositæ et anima et sanguine quasi concretæ videntur. Quis enim non intelligat quam bene, quam arcte illa poetica fingendi ratio nostræ congruat naturæ; quam feliciter res prorsus involutas et obscuras in lucem clarissimam proferat; quam pulchre tandem et poetice formas illustret? De *symbolismo* autem nihil verius inveniri potest quam quod scripsit vir quidam ingenio præclaro præditus : quapropter ad hunc scriptorem adeat lector [1].

Anticlaudiani igitur ab Alano nostro exarati, sive conspexeris argumentum, sive formam attenderis, ea est origo. Quod opus in novem libros distributum non prosa, sed versibus hexametris exscribitur. Eo majorem laudem assecutus est Alanus, quod in his carminibus non solum ita puro dicendi genere utitur, ut hujus temporis optimos poetas, omnium judicio, æquaverit, ne dicam superaverit, sed etiam legentem sententiarum gravitate, rerum fictarum pulchritudine, et sæpe verborum lepore delectet.

[1] Vide F. Ozanam, *Dante et la Philosophie catholique au* XIII[e] *siècle*, Paris, 1859, p. 122, 123, 381.

IV. — Anticlaudiani descriptio.

Initio Natura se ab hominibus desertam questa, optat ut creetur homo perfectus, quales fuissent mortales, si nunquam peccassent. Eam igitur de *viro bono et perfecto* multa volventem mente multaque conantem fingit Alanus : sed quum vir creari sine virtutum auxilio non possit, omnes virtutes a Natura vocantur in concilium : quæ quidem, felici occasione data, describuntur accurate :

Pacis alumna movet prima Concordia gressus,
Et pleno cuncta perfundens Copia cornu,
Et Favor, et multo perfusa favore Juventus,
Et Risus, nostræ proscribens nubila mentis,
Et Pudor, et certo contenta Modestia fine,
Et Ratio mensura boni, quam semper adhærens
Felici gressu felix comitatur Honestas,
Et Decus, et cuncta trutinans Prudentia libra,
Et Pietas, et vera Fides, quæ fraudis in umbra
Nobis hypocritam mentiri nescit amorem;
Et virtus quæ spargit opes, quæ munera fundit,
Quam penes ignorat ignavam gaza quietem,
Nec dormire potest thesauri massa sepulti,
Sed mutat varios toties peregrina magistros.
Ultima Nobilitas, et formæ laude secunda,
A longe sequitur harum vestigia, quamvis
Nescio quid præsigne gerat, tamen hujus ad unguem
Non poterat reliquis facies æquare decorem :
Munere fortunæ melior; sed parcius ipsa
Gratia naturæ dotes effundit in illam.
Hæc superum soboles gressus naturat in arcem
Naturæ, propriaque domum chorus afflat honore.

(Lib. I, cap. II.)

Quæ omnes, nulla interposita mora, advolant Naturæ domum in juga montis amœni structam. Describitur locus ille, floribus stellatus, consitus arboribus, fonte nutritus irriguo : supercilio eminet regia Naturæ domus, auro argentoque et variis distincta lapidibus. Hæc descriptio occasionem præbet commemorandi multa ornamenta, multas picturas, summo artificio elaboratas; quæ quidem fere omnia ex Ovidio manifeste desumuntur. Quantam in admirationem adducunt mentes hujuscemodi imagines et simu-

lacra, quæ nova atque inusitata inter mortales arte, ad *esse*, ut ait poeta, (mirandum!) transeunt!

> O nova picturæ miracula! transit ad esse
> Quod nihil esse potest, picturaque, simia veri,
> Arte nova ludens, in res umbracula rerum
> Vertit, et in verum mendacia singula mutat.
>
> (Lib. I, cap. III.)

In hac pulcherrima Naturæ domo, Plato, Aristoteles, quales ne Raphael quidem in *Schola Atheniensi* depinxit, nec non Seneca, Ptolomæus, Tullius, Virgilius, Hercules, Ulyxes, Turnus, Hippolytus, Mævius, Nero, Ajax, Paris, Davus:

> Illic arma parat logico, logicæque palæstram
> Pingit Aristoteles, sed eo divinius ipso
> Somniat arcana rerum, cœlique profunda
> Mente Plato, sensumque Dei perquirere tentat [1].
>
> (Lib. I, cap. III.)

In illo etiam loco elementa, quibus componatur mundus, Natura continet, æternis sapientissimisque, quarum auxilio fit omnium rerum concordia, legibus attente et benigne providet.

Concilio igitur facto, Natura primum Virtutes alloquitur, multaque de humana malitia questa, de viro novo jam effingendo suam aperit mentem. Ut primun locuta est, assurgit Prudentia, quam novo cognomine poeta vocat *Phronesim* aut *Sophiam*. Hac Prudentia ipsa mens humana — quod quidem neminem fugit — significatur. Phronesis illius et vultum et vestimenta Alanus noster versibus haud contemnendis extollit. Quæ quidem omnia cum legimus, non possumus nostram in memorian non revocare præclarum hunc locum, in quo Boetius depingit Philosophiam, quæ subito sibi ærumnis confecto « adstitisse supra verticem visa est [2]. » Prudentia Naturæ consilium probat vehementer. Tunc quædam alia Virgo, Prudentiæ non dissimilis,

> Erigitur Ratio, poscitque silentia nutu...
> Sicut relativæ facies, gerit altera formam
> Alterius, seseque sibi conformat in illa.
> Una sibi facies, faciem præsentat utramque,
> Vultus diversi, facies diversa duarum,
> Non adversa tamen, *quales decet esse sororum* [3].
>
> (Lib. I, cap. IX.)

[1] Cf. Martianum Capel., *infra*, p. 53, 54.
[2] *De Consol. Philos.*, lib. I, cap. II.
[3] Cf. in Martiano Capella, quod dicitur de tribus charitatibus.

Initium orationis ab excusatione, quod in hujusmodi concione verba faciat :

Dum vestram cogor indocta docere Minervam;
(Lib. II, cap. I [1]).

Consilium tamen probat Naturæ, virumque bonum omnibusque perfectum virtutibus in terris videre etiam atque etiam exoptat : necesse est, inquit, ad Deum recurramus ; necesse est una e nobis eligatur, quæ Omnipotens Numen adeat, illam omnibus dotibus cumulatam mentem supplex impetratura. Quæ vero nostrum omnium dignior, et ad illud munus implendum aptior, quam carissima nobis Prudentia?

Ergo quæ melius legati munus inibit
Quam Phronesis? cui cuncta Dei secreta loquentur?
(Lib. II, cap. III.)

His verbis omnes assentiunt; una tantum Prudentia negat, multumque dubia, animo multa volvit :

Dum sic in dubio mens pendet, fluctuat, hæret,
In medium cuncta medians Concordia sese
Profert.....

plurimaque mala, quæ in mundo concordiæ defectu acciderunt, enumerando Prudentiam verbis accendit. Sed, cum ei opus sit curru quodam ut ad Deum ascendat, ad hunc currum conficiendum Virtutibus obviam eunt septem Artes liberales :

Cautæ, prudentes, pulchræ, similesque puellæ
Septem, quæ vultum sub septem vultibus unum
Reddunt, quas facies, genus, ætas, forma, potestas
Una tenet, tenet una fides, tenet una voluntas:
Assistunt Phronesi, Phronesis decreta sequuntur,
Ejus in obsequio semper fervere paratæ...
(Lib. II, cap. VI.)

Nec mora; unaquæque earum vice sua procedere et ad opus suum libentissime incumbere. Itaque, oblata opportunitate, poeta fuse describit singulas artes; quæ sit cuique vis, quæ facultas, quis vultus, acute explicat, ea quidem dicendi ubertate, quam, quum Philosophiam effingeret ante oculos, ostenderat. Artium enim in vestibus depinguntur tum opera eximia, tum viri celeberrimi, a quibus unaquæque ars facta est illustris; quæ omnia si quis con

[1] *Cic. acad*, 1, 5, 18.

templatus erit, statim mente recogitaverit et Achillis et Æneæ clypeos, quos Homerus Virgiliusque tanto artificio exornarant. Inde Alano nostro felicissima est occasio suam descriptionem absolvendi. Prima virgo, Grammatica, temonem fabricatur :

Harum prima studet, ut temo præambulus axis,
Et quasi venturi quædam præfatio currus.
(Lib. II, cap. VII.)

Secunda, Logica nomine, axim ; tertia, Rhetorica, dextera gerens tubam, sinistra vero cornu, temonen gemmis et argento ornat et axi varios insculpit flores ; deinde incedunt quatuor ceteræ Artes, Arithmetica, Musices, Geometria et Astrologia ; quarum unaquæque suam conficit rotam. Ex quo apparet septem artes, quibus ævo medio omnis constabat Philosophia, cecinisse Alanum [1].

His omnibus partibus dispositis et a Concordia connexis, quinque equi, sensus dico, quorum auxilio mens disciplinarum humanarum percurrere potest curriculum, adducuntur, et a Ratione et a Concordia inter se junguntur.

Tunc ratio monitu Naturæ docta docentis
Quinque sibi præsentat equos, quos fœderat illa
Fœdere complacito, concordi pace, fideli
Connexu.....
(Lib. IV, cap. II.)

Equi illi, diversis dotibus eximii, tum pulchritudine, tum ardore et vi distinguuntur, et quem merentur locum obtinent : primum quidem visus, secundum auditus, tertium olfactus, gustus quartum, quintum denique tactus. Qua in parte operis, credo equidem, non facile dixeris quid eniteat maxime versuumne venustas, an poetæ ingenium, prudentia et fecunditas ; quod jam ut omni luce clarius appareat, pauca de primo equo liceat transcribere :

Primus equus cultu, forma cursuque sodales
Prævenit et reliquos proprio submittit honori.
Cultus, forma, decor, species, audacia, cursus
Ditat eum, nec in hoc patitur sibi damna, quod illum
Respersus candore color subrufus inaurat.
Non meat, imo volat, nec enim discrimine passus
Inscribit terram, nec gramen curvat eundo,
Sed celeri cursu terram delibat euntis
Passus, et in terra vestigia nulla reliquit ;

[1] Cf. Martianum, *De septem artibus.*

Sed levis aura suos stupet invenisse volatus
Miraturque sui Boreas torpescere cursum.
Aura cadit, lentescit avis, volucrisque sagittæ
Cursus hebescit, equi lentescunt omnia cursu;
Anticipat monitum calcaris, sponte meatum
Aggreditur, facilique tamen frenatus habena.
(Lib. IV, cap. II.)

Nec minore elegantia ceteri equi describuntur.

Ratio tandem currui quinque equos jungit, et auriga manu habenaque tenet regendos, Phronesimque monet atque hortatur ut currum ascendat :

Tunc monitu Rationis adest Prudentia, currum
Conscendit, currusque decor cumulatus abundat
Plenius, et roseo flammatur sidere vultus.
Instat equis Ratio virga dictante, jugales
Aggrediuntur iter, currus subtollitur, exit
Terris, et tenuem currens evadit in auram.
(Lib. IV, cap. IV.)

Prudentia igitur, per immensos cœli campos præceps acta, omnia considerat attente oculis, omniumque rerum scrutatur causas : inquirit enim quæ sit nubium, quibus quasi quodam amictu terra tegitur, natura et origo; unde oriantur venti et pluviæ, nives et grando; qua vi producantur fulmina; quin imo, in aere vagantes aspicit spiritus, quorum quidem alii boni sunt et homines protegunt, alii vero mali hominibus insidias moliuntur. Hic incipit præclara mundi descriptio, quam longiore explanatione mox explicaturi nunc brevissimis tantum verbis indicamus. A poeta describuntur novem orbes cœli, Luna nempe et Sol, Venus et Mercurius, Mars et Jupiter, Saturnus et Firmamentum, in quo stellæ radiant, Zodiacus denique cum signis suis.

Postquam cœlestes aditus, cœlique profundum,
Astrorumque vagos reditus emensa reliquit,
Inque supercilio mundi stetit, anxia mente
Fluctuat..... (Lib. V, cap. II.)

Nam pervenienti ad hanc usque sublimem regionem, jam ultro non patet aditus, quum et Ratio viam ignoret, et quinque equi superius ascendere non valeant, aut, ut aliis verbis significemus rem, quinque animi sensus cœli secreta penetrare nequeant :

Nec Ratio sursum deflectere possit habenas,
Quas retinent instanter equi, dominæque repugnant
Effrenes, ultraque negant servire jubenti.
(Lib. V, cap. II.)

Dum Phronesis ancipiti sententia hæret quid sit actura, en subito THEOLOGIA, puellæ pulcherrimæ similis, dextra gerens librum, sinistra vero sceptrum, ante oculos ejus apparet :

Ecce puella poli residens in culmine, cœlum
Despiciens, sursumque delegans lumina, quiddam
Extramundanum toto conamine visus
Vestigans...
Visibus offertur Phronesis... [1].

(Lib. V, cap. III.)

Theologiam pulchritudine effulgentem salutat Phronesis; statimque, indicata itineris, quod suscepit, causa, eam exorat ut benigne velit esse viæ dux et comes. Prudentiæ supplices voces Theologia cum summa benevolentia excipit, neque ire recusat, hac tamen conditione, ut currus et equi jam deserantur. Conceditur tamen secundus equus, in quo sedens Prudentia poterit cum optima viæ duce ad limen Jovis seu Numinis Omnipotentis pergere. Hic vero poeta, antequam ulterius procedat, nova atque antea inaudita narraturus, ut divinum auxilium impetret, orationem piam ad Deum fundit.

Mox autem, divino puellæ ductu, cœlestia ascendit, tuncque aspicit aquas super firmamentum sitas nec fluxu labiles, nec in æthere suspensas, sed potius crystallino solidatas frigore; rursus elementorum concordiam miratur, et sponte confitetur *divinarum rerum* exactam cognitionem excedere vires humanas. Paulo post, ad *Empyrœum* evehitur : quid autem poeta de gaudiis, quibus *Empyrœi* cœli incolæ fruuntur, scripserit; quid dixerit de viris sanctitate conspicuis et assumptis de terra, deque eorum gloria et diversis meritis; quid præcipue de Mariæ Virginis laudibus, quam, post D. Bernardum, magistrum suum et amicum, Alanus pulcherrimis verbis extollit, mox proferam. Nunc autem, ut hanc partem absolvam paucis, satis sit hæc dicere : Prudentia *Empyrœi* cœli splendorem ferre non valet, et deficiente animo, lethargo pressa decidit. Quam statim miserata Theologia in auxilium sororem *Fidem* advocat. Prudentiam viribus deficientem *Fides* potu quodam supercœlesti liberat a languore; sed

[1] Cf. in Boetio, interventum Philosophiæ subitum. *De Consol. Philos.*, lib. I, cap. II. — Capellam, p. 53, 54. — Joh. Annævillanum, *De Archithrenio*, lib. VIII, cap. VI. — Henricum Septimellensem, *De Divers. Fortunæ*, lib. IV, v. 1 et seq. — Bernardum Silvestrem, *Microcosmus*, p. 59, 60, 61.

quum infirmior sit Prudentia, quam ut *Empyræum* fulgur valeat sustinere, *Fides* mirabile quoddam speculum affert, cujus auxilio Prudentia possit, modo quidem obscuro prorsus, omnia quæ in cœlo sunt, miracula cernere. Tum, relicta *Ratione*, relictis curru et quatuor equis, Fidem et Theologiam sequitur, et cœlestia secreta ingreditur; et mirabilis speculi ope, *prædestinationis* causas et alia cœli *Empyræi* miracula considerat ac perpendit; tandem, comitibus suis freta, arcem Dei conscendit, et ante Deum se prosternit. Statim verum a Deo erigitur; a quo jamque refecta, submisso vultu, supplici voce, gestuque tremulo, causam legationis suæ exponit, virtutesque indicat, quibus novus homo exornandus sit :

Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet,
(Cf. *Æneid.*, lib. II, v. 311.)

inquit, divinæ misericordiæ captandæ gratia. Deus facile exoratus, juxta mentis æternæ exemplar animam creat. Quam Prudentia quum impetravit, nulla mora interposita, revertitur ad terram. Brevi occurrit Ratio ; qua iterum duce,

... tandem singula vincens
Immensum consummat iter, votisque sororum
Expectata diu Prudentia revertitur; offert
Naturæ cœleste donum; miratur in illo
Artificis Natura manum, munusque beatum
Laudat, et in dono laudatur gratia dantis.
(Lib. VI, c. VIII.)

Sequitur in septimo libro viri boni, omni parte perfecti, atque ab Virtutibus et Artibus, quas singulas extollit auctor, ornati descriptio. Natura statim ex elementis nobile corpus format; et Concordia, Arithmetica et Musica juvantibus, jungit animam corpori. Tandem

... novus formatur homo, miratur in illo
Se tantum potuisse potens Natura stupensque
Vix opus esse suum credit quod fecerat ipsa.
(L. VII, cap. II.)

Omnes tunc Virtutes in hunc hominem sua dona certant conferre. Pudicitia, Modestia, Ratio, Honestas, Sophia et ejus Ancillæ, Grammatica, Logica, Rhetorica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astrologia, Pietas et Fides, eum tot et tantis donis cumulant, ut ea ne nomine quidem quisquam distinguere possit. Nobilitas vero ultima, quia ex se nihil proprium habet, a matre Fortuna quod

largiatur exquirit. Inde, sumpta occasione, domus, habitus et rota Fortunæ describuntur. Filiæ suæ annuit Fortuna[1], quæ ipsa suum quoque munus largitura advenit; cui assistit Ratio vigilans et sollicita, ne quid mali Fortuna, livore auctore, interserat.

In duobus sequentibus libris, octavo nempe et nono, Alanus Claudiani opus rursus imitatione prosequitur; quod quidem quum facit, Virgilii etiam non nullos locos videtur adumbrare[2]. Nobis exhibet Vitia, sub Alecto regina, in concione congregata, ut virum hujusmodi impugnent trucidentque. Accurrunt tartarei proceres, alumni nequitiæ, fabricatores scelerum et magistri, damna, doli, fraudes, furta, ira, odium, discordia, morbus, tristitia, luxus, egestas, luxuries, livor, fastus, et ipsa senectus. Postquam caterva consedit, Alecto, quod homines sibi parere omnino nolint, vehementer conqueritur, et hominem modo creatum acriter impugnandum censet. Statim Vitia, illa jubente, magno impetu in orbem terrarum prorumpunt, discordia nempe, stultitia, avaritia, et earum comites; initur pugna cujus descriptio Alani ingenium non mediocre ostendit. Strenue autem vir justus sese Vitiis opponit, ea aggreditur et obtruncat; et singula, Paupertatem, Infamiam, Senectutem, Fletum, Venerem, Libidinem, Excessum, Luxum, Gulam, Carnis stimulum, Imprudentiam,

[1] Alano judice, Nobilitatis dona, si cum Virtutibus conferantur, minimi pretii facienda sunt. Verba quæ profert poeta, digna sunt quæ notentur :

... tamen hujus dona minori
Luce micant donis adjuncta prioribus; imo
Vix aliquid splendoris habent, dum luce premuntur
Majori : sic flamma minor vicina camino
Languescit; sic stella latet contermina Phœbo.

(Lib. VIII, cap. II.)

Jam antea dixerat, quum Virtutes in medium protulerat :

ULTIMA Nobilitas, et formæ laude SECUNDA
A LONGE sequitur harum vestigia; quamvis
NESCIO QUID *præsigne gerat*, tamen hujus ad unguem
Non poterat reliquis facies æquare decorem,
Munere Fortunæ melior ; sed parcius ipsa
Gratia Naturæ dotes effundit in illam.

(Lib. I, cap. II.)

Itaque non nihil, sed prope nihil, Nobilitatem Alanus arbitratur; hanc Virtuti comitem tribuit libenterque, meo judicio, dixisset ut recens noster poeta :

La naissance n'est rien, où la vertu n'est pas.

(Molière, *Don Juan*, IV, 4.)

[2] Lib. VI, *Æneid*, v. 273, etc.

Impietatem, Fraudem, Avaritiam, Virtutum ope debellat fugatque. Senectus innixa baculo fugit; Fletus Risu vincitur; Venus Fuga, Excessus Moderantia, Luxus et Gula Sobrietate, Imprudentia vero Prudentia, Impietas Pietate, Fraus autem Fide, Avaritiaque Largitate :

Jam scelerum superata cohors in regna silentum
Arma refert, et se victam miratur, et illud
Quod patitur vix esse putat, nec creditur illi
Quod videt et *stygias fugit indignata sub umbras.*

(Lib. IX, cap. VIII.)

Quo certamine finito, describitur vir beatus et verbis extollitur ad cœlum. Jam Virtutes sedem stabilem ac domicilium collocant in terris mundumque regunt; jam in cœlum mutatur ipsa tellus :

Nec jam corrigitur rostro, nec vomere campus
Læditur, aut curvi deplorat vulnus aratri,
Ut tellus avido quamvis invita colono
Pareat, et semen multo cum fœnore reddat.
Non arbor cultum quærit, non vinea falcem ;
Sed fructus dat sponte novos et vota coloni
Fertilitate premit ; spes vincitur ubere fructu,
Gratis poma parit arbor, vitisque racemos,
Et sine se natas miratur pampinus uvas ;
Et tunicis egressa suis rosa purpurat hortos,
Nec spinam matrem redolet, sed sponte creata
Pullulat, atque novos sine semine prodit in ortus.
Sic flores alii rident, varioque colore
Depingit terram florum primæva juventus.

(Lib. IX, cap VIII.)

Tandem ultimis versibus, quemadmodum hujus ætatis multi viri fecerunt, — quod quidem ipsi fecerant et Horatius et Statius, quorum non minus quam Virgilii assiduus sectator fuit; — finem, inquam, operi cum imponit, Alanus se contra Zoïlorum dentes præmunit :

O mihi continuo multum sudata labore
Pagina, cujus adhuc minuit detractio famam ;
Vive, nec antiquos tentes æquare poetas ;
Sed potius *veterum* vestigia semper adorans,
Subsequere, et lauris humiles submitte myricas[1].
Jam ratis evadens Scyllam monstrumque Charybdis,
Ad portus tranquilla meat ; jam littore gaudet
Nav ta ; jam metam cursor ; tenet anchora portum ;
Nauta tamen tremebundus, adhuc post æquoris æstum,

[1] Cf. Statium (*Theb.*, lib. XII, v. 819 et seq.)

Terrenos timet insultus, ne, tutus in undis,
Naufragus in terra pereat; ne livor in illum
Sæviat, aut morsus detractio figat in illo,
Qui jam scribendi studiumque pondusque laboris
Exhausit, proprio concludens fine laborem.
Si tamen ad præsens fundit sua murmura livor,
Et famam delere cupit, laudesque poetæ
Supplantare novas, saltem post fata silebit.
(Lib. IX, cap. IX.)

V. — Quænam sint poemata, cum quibus Alani carmen similitudine conjungitur?

Nunc, quum Anticlaudianum oculis exposuimus, facilius lectori apparebit Alanum poetarum antiquorum vestigia in suo carmine secutum fuisse, et etiam cum eis insigne certamen inisse pro gloria :

..... veterum vestigia semper adorans
Subsequere.

Insuper, cum hæc scribendi ratio veterum imitatrix, quo tempore floruit Alanus, valde communis fuerit et vulgata, inde vel apprime pro comperto est *Anticlaudianum* cum quibusdam aliis poematibus, ævo medio in lucem prolatis, similitudinem præ se ferre. Quæ quum ita sint, hic disquirere operæ pretium est primum quanam de causa Alanus et ætatis mediæ scriptores poetas antiquos in exemplum plerumque sibi proposuerint; deinde, cum quibusnam operibus, aut veteribus, aut æqualibus, *Anticlaudianus* noster sit præcipue conferendus.

In urbibus magnis, episcoporum studio, in agris, sacerdotum opera et vigilantia, gymnasia fuerant quam maturrime constituta. Quorum in aliis, sacerdotes, *diaconi, clericique* juniores docebantur disciplinas nobiliores perfectioresque ; in aliis vero rustici viri et servi ipsi accipiebant rudimenta scientiæ. In monasteriis autem, quo conveniebant cujusque generis homines, tradebatur sapientia perfecta atque absoluta, quippe quæ tum altiores disciplinas tum rerum rudimenta complecteretur. Quod si vero res et præcepta, quæ dabantur, conspicias, minime potes dubitare quin illius temporis magistri omnem operam dederint ut alumni non solum pietate erga Deum informarentur et omnibus illis imbuerentur scientiis, quæ ad sacras cærimonias et sacrosanctos libros pertinent, sed etiam antiquas Romæ doctrinas, eloquentiam et poesim penitus acciperent atque haurirent. Itaque diligenter, tum

hortationibus, tum exemplo, discipulos impellebant ut artes has exquisitissimas, quæ maxime spectant ad humanitatem, attento assiduoque studio colerent[1].

Primum quidem hujusmodi gymnasia, parum firmis radicibus innixa, cum sæpissime, velut arbores ventis, rei publicæ procellis et tempestatibus agitarentur, non multos fructus ediderunt : quapropter, per tempora ævi medii prima, pauci tantum occurrunt *poetæ*, ut alios scriptores silentio prætermittam. Quum autem res turbidæ fuerunt sedatæ ac quietæ ; quum civitates metu vacuam tranquillamque pacem traxerunt, ac tandem opibus et copia affluxerunt scholæ, et, ut ita dicam, in tuto collocatæ fuerunt contra casus fortunæ adversos ; tum, inquam, tanta seges poetarum fuit, ut non facile quisquam numero recenseret omnes, qui versibus aliquid scripserunt[2]. Unaquæque schola suos poetas extollebat ad cœlum et honoribus cumulabat. In Britannia enim, in Italia, in Gallia præsertim, multa eo tempore floruerunt carmina[3].

At, sive propter ingenium nimis sterile, sive præsertim propter istius ætatis acerbitatem, illi prope omnes poetæ, quibus mens divinior deerat, « proferre ignota indictaque primi » non ausi sunt; sed satis esse arbitrati sunt, si pro virili parte possent antiqua exemplaria imitari. Quo vero melius appareat eam fuisse conditionem communem omnium, qui eo tempore indulserunt carminibus, perlegas, quæso, poemata, quibus insudarunt. Ut veterum

[1] Cf. Pasquier, *Baudry de Bourgueil*, p. 18, 19, 20. — Simler, *De Archithrenio*, p. 17.

[2] Cf. Villemain, *Tableau de la littér. au moyen âge*, VIIIe leçon.

[3] Inter auctores quidem, quorum opera accepimus, alii epicum genus coluerunt, alii scripserunt satiras et epistolas; multi tandem majore studio prosecuti sunt poeticum genus, quod vocant *dogmaticum*. Inter homines, qui epico generi operam dederunt, ponere licet Baldericum Dolensem, Gualterium de Insulis seu de Castellione, Reinerium, Gualterium, *Ligurini* auctorem, Egidium Parisiensem, Simonem, cognomine dictum *Auream Capram*, Valterium, etc. Ex his, qui epistolas satirasque scripserunt, primum locum obtinent Hildebertus Cenomanensis, Baldericus, etc. Tandem, inter illos, qui poemata διδασκαλικά prodiderunt in lucem, Alanus noster, Baldericus, D. Bernardus, J. Hanvillensis, J. Sarisberiensis, Hugo et Ricardus a S. Victore Parisiensi, Petrus de Riga, quos omnes et ætate et laude antecesserant Boetius et Martianus Capella. Poetarum tamen, quos memoravi, plerique omnia simul genera poematum coluerunt et foverunt.

Inter auctores, quorum scripta accepimus, non minus quam centum numera-

carmina imitatione exprimerent, quantum laboris et operis consumpserint non facile diceres, quippe qui ex exemplaribus sibi propositis, non dicam formam, et sententias tantum, sed etiam versus ipsos ad verbum retulerint[1]. Ea ratione scripta fuerunt pleraque ex carminibus Alani de Insulis, Gualterii de Castellione, Balderici Dolensis, J. Hanvillensis, Henrici Septimellensis, Bernardi Carnutensis, Petri de Riga, ut præcipuos tantum proferam in medium. Non jam exoriuntur poetæ, qui cum Virgilio, aut Flacco, aut etiam cum Nasone conferri possint : poesis enim latina, velut arbor vetus, fructus jam ante fudit uberiores, nec fetus jam edere potest, nisi seros et graciles.

Veterum enim poetarum lingua et versibus tanquam materia utuntur antiqua ; eo tantum fine ut novas res, novosque sensus exprimant minimeque curant utrum novæ illæ res, novi illi sen-

verunt (*Hist. litt.*. t. X, p. 183.) Quo quidem melius quisque percenseat quot duodecimo sæculo floruerint poetæ, indicem hic apponimus de præcipuis :

1° Abelardus, D. Ceillier, XIV, 338 et seq. *Hist. litt.*, XII, 147 et seq.
2° Adamus, Barhinghensis monachus, Bullæus, II, 716, et seq.
3° Adamus de Sancto Victore, *ibid.*, 718, etc.
4° Ægidius Carboliensis, *ibid.*, 718, etc.
5° Ægidius Parisiensis, *ibid.*, 718.
6° Alanus de Insulis.
7° Arnoldus, D. Ceillier, 789, etc.
8° Bernardus Carnutensis, *Sylvestris* dictus, *Hist. litt.*, p. 261, etc.
9° Bernardus Marlanensis, *ibid.*, 237.
10° Comestor, Cancellarius eccles., Paris. D. Ceillier, p. 759.
11° Gualterius de Castellione.
12° Gualterius, auctor *Ligurini*. D. Ceillier, 863, etc.
13° Gilbertus, D. Ceillier, 863, etc.
14° Godefridus, can., Paris. D. Ceillier, 815, etc.
15° Helinandus, D. Ceillier, 898, etc.
16° Heloïsa, *Hist. litt.*, XII, 643, 646, etc.
17° Henricus Septimellensis, D. Ceillier, 807, etc. Simler, 68, etc.
18° Hugo a Sancto Victore, *Hist. litt.*, XII, 54, etc.
19° Johannes, frater Gilberti, *Hist. litt.*, 530, etc.
20° Johannes Sarisberiensis, D. Ceillier, 679, etc.
21° Lambertus, discipulus Vazelini abbatis. *Hist. litt.*, 529, t. XII.
22° Lambertus, *Hist. litt.*, 529, t. XII.
23° Leonius, *Hist. litt.*, 533, etc.
24° Matthæus, *Hist. litt.*, XV, 680, etc.
25° Petrus Pictaviensis, *Hist. litt.*, 349.
26° Petrus Blesensis, D. Ceillier, 822.
27° Petrus Harvingensis de *Bona Spe*, D. Ceillier, 687.
28° Petrus de Riga, D. Ceillier, 886, etc.
29° Serlo Burdigensis, *Hist. litt.*, t. XV.
30° Simon, dictus *Capra Aurea*; *Hist. litt.*, XII, 487.
31° Stephanus Rothomagensis, *Hist. litt.*, XII, 675, etc.
32° Valterius, *Hist. litt.*, XII, 516.
33° Vitalis Blesensis, *Hist. litt.*, 428.

[1] Cf. Simler, p. 25 ; Pasquier, *Baudry de Bourgueil*, p. 20. Multi Virgilii versus, necnon Flacci et Ovidii in *Anticlaudiano* inveniuntur; quorum appendicem ad calcem hujus libri ponemus.

sus rectissime possint antiqua materia effingi, an non. Inde evenit ut sæpissime illius temporis poetæ in memoriam revocent nostros alumnos, qui hodie etiam in scholis versantur : hi enim, juniores, postquam ex optimis scriptoribus multa selecta collegerunt, his vocabulis non mutatis, res novas vestiunt proferuntque in lucem, ita ut, quas exponere volunt, sententiæ eo jejuniores exilioresque videantur, quo ampliora splendidioraque ornamenta induerunt :

> Scribendi novitate vetus juvenescere charta
> Gaudet...
>
> (*Anticlaud.* Præfat.)

Causam autem, cur ita antiquos auctores illius temporis poetæ tam sedulo persequerentur imitatione, fatentur omnes in eo reponendam esse, quod afflatu divino carerent. Nunquam enim magis apparet istiusmodi imitatio quam quum ingenium aut viribus caret, aut optima institutione indiget : nam poetæ nova atque adhuc inaudita carmina non fundunt, nisi cœlesti aliquo mentis instinctu. Qui vero hanc ingenii præstantiam minus consequi possunt, adumbratione proxime ad eam, specie falsa decepti, se accessuros esse putant. Unde suspicari possumus quibus causis, et apud Romanos primum artibus et litteris studentes, et apud nos sexto et decimo seculo antiquitatem tanta venerantia colentes, imitatrix æmulatio adeo effloruerit.

Quosnam autem auctores præcipue legerent adumbrarentque in medio ponamus necesse est. Curriculo studiorum confecto, clericos[1] non raro juvabat oratores et poetas latinos evolvere et colere. Summa enim erat poetæ, qui penitus veteres auctores perpenderat noveratque, auctoritas, adeo ut in admirationem æquales suos adduceret, et eis verbis, quæ de Frodone Andegavo dicebat Baldericus Dolensis, dignus esse videretur :

> Quod de quadrivio norat trivioque Latinus,
> Id totum Frodo pleniter audieras.
> Solers auditor superaras pene Latinos...
> . . . .
> Frodo, quid prodest te nosse profunda librorum,
> Nocte dieque tuus tritus Aristoteles ?
> Fabula Nasonis tibi quid tot adhæsit in annis ?
> Quid tibi nunc Cicero, Statius atque Maro ?
> Frodo, labor magnis te vatibus æquipararat [2].

[1] « Paucissimi enim *laici* litteris latinis indulgebant ». — Cf. Simler, l. c., 4.
[2] *De Frodone Andegavo.* — Item de eodem, Migne, 1809. A. B. C.

Quæ quidem Balderici verba nobis ostendunt quos auctores eo tempore magis amarent [1].

Nunc itaque, quum opera Claudiani, Martiani et Boetii Alanus noster in exemplum sibi proposuerit, propterea, inquam, pauca de carminibus horum poetarum expedit exponere.

I. — De Claudiano.

Jam antea, quum disquisivimus quanam ex origine fuerit Alani poema derivatum et quare nomen suum acceperit, non pauca Alanum Claudiani operi *in Rufinum* debere asseveravimus. Nunc autem, fabula *Anticlaudiani* enodata, clarior et manifestior hujusmodi adumbratio apparebit. Claudianus, Theodosio juniore regnante, insigne composuerat carmen *in Rufinum,* qui tum in imperio regendo præcipuas partes obtinuerat. Poeta ille, ut Rufini memoriam æternum apud posteros infamem efficiat, istum Rufinum ex omnibus vitiis coinquinatum exhibet. Verum id quo felicius effingat, concilium excogitat, Alecto imperante, Vitiorum omnium, quæ virtutem ab orbe terrarum ejiciant. Vitia autem, quo certius consilium adducatur ad eventum, neminem peritiorem quam Rufinum arbitrantur. Itaque omnia et singula vitia

[1] Idem testatur Bullæus, quum dicit : « Quinam auctores prælegebantur? « Duplicis generis, veteres et recentiores. Veteres iidem fere qui hodie, pro captu « discipulorum, alii aliis in scholis, Ovidius, Virgilius, Horatius, Tibullus, Pro- « pertius, Marcus Tullius, in omnibus humaniorum disciplinarum classibus. (Bullæus, l. c., t. I, 519.) Paucissima quidem antiquitatis opera reperias, quæ magistri alumnique non assidue volverent memoriæque mandarent. Nam ut ex *Anticlaudiano* apparet manifeste, qui præcipuos undecimi et duodecimi seculi auctores perlegerit vel breviter, in eorum carminibus, tum sententias, tum verba, tum excerpta loca, necnon versus ipsos inveniet, quæ e veteribus poetis omnia desumuntur. Nunquam enim satis amplam messem collectam esse putabat, qui J. Sarisberiensis monita sequebatur : « Multa legas facito; perlectis, perlege « multa... omnia legenda sunt... Poetas, historicos, oratores, mathematicos, quis « ambigit esse legendos? Vix invenietur scriptum, in quo, si non in sensu, vel in « verbis, non reperiatur aliquid, quod prudens lector admittit..., nam exquisita « lectio singulorum doctissimum, cauta electio meliorem optimum facit. (Joh. Sarisb. *Polycrat.*, lib. VIII, cap. IX et X.) » Inter poetas, quos præcipua admiratione colebant, primum obtinebat locum Virgilius ille, quem, ut sciunt omnes, tanta veneratione prosecuta est ætas media (Cf. Pasquier, *Baudry de Bourgueil*, p. 45, 46); post Virgilium, Flaccus, Naso, Juvenalis, Lucanus, Persius, Tibullus, Propertius, Statius. Sed præ omnibus Martianum Capellam et Boetium summo studio, summa religione venerati sunt; ad quos Alanus adjunxit Claudianum, poetam clarissimum.

ostenduntur, quæ hominem istum efformant, suaque malitia imbuunt : deinde veluti pestiferam luem, vel potius rabidam feram, per imperium romanum emittunt. Inde exoriuntur immensa mala, immensa pernicies, quæ finem non accipiunt, nisi Stiliconis ope, quem Virtutis et Boni genium habet Claudianus; cujusque tandem fortitudine devictus, Rufinus meritas flagitiorum pœnas persolvit.

Alanus vero, hominis novi, omnibus virtutibus divinis humanisque ornati ac perfecti, nobis expressam imaginem depicturus, ad Claudiani carmen direxit oculos, eoque opere ductus, suum poema composuit, quod *Anticlaudianum* vocat, non eo quod Claudianum redarguat, aut impugnet, sed quod eadem ratione poetica rem omnino diversam, imo contrariam, depingit [1]. Nam, dum Claudianus fingit omnia Vitia ad Virtutem debellandam convenire, Alanus contra, omnes Virtutes, ut ejicerent Vitium ex orbe terrarum, congregatas fuisse effingit. Quæ multis perpensis, talem virum tandem perficiunt, ut vidimus, ejusque auxilio Vitia omnia et singula fugant domantque.

II. — De Martiano Capella.

Martianus Minœus Felix Capella, quem ævum medium auxit cumulavitque eximia laude honoribusque amplissimis, ex Africa ortus est et quinto seculo vixit. Qui vir non nullius ingenii, quum in animo volveret quanam via septem liberales artes absolute exponeret, eo adductus fuit, ut *Saturam* soluta oratione et carminibus compositam, quam antea Varro in Satiris *Menippeis* admiserat, adumbraret atque æmularetur. Quapropter opus ejus *Satiricon*ins cribitur. Huic autem, allegoriis jucundis res abstrusas, et aridas, et prorsus involutas quodam modo mulcendi causa, necnon lectoris mentem delectandi atque alliciendi, huic, inquam, Martianus fabulam de *Nuptiis Philologiæ et Mercurii* præmiserat; unde opus illud sæpius *Carmen de Nuptiis Philologiæ et Mercurii* nomine dixerunt. Excogitavit Martianus ante oculos nostros ponere perfacilem esse ad septem ingenuas artes ediscen-

[1] Jordanus sententiam, qua asseritur *Anticlaudianum* exaratum fuisse ad librum *in Rufinum,* Claudiani poetæ, refellendum, nescio qua causa, amplexus est. V. *Recherches critiques sur l'âge des traduct. d'Aristote,* note I, p. 279.

das viam, quum Mercurius et Philologia, acumen nempe rationis et eloquentia, in viro sapiente quasi connubio conjungantur. Quapropter, ut evolvat suum propositum, *Cyllenium* (eloquentiam dico) de virgine ducenda deliberantem fingit; qui, hortante virtute, ad Apollinem patrem consilium impetraturus adit. Vix autem a Phœbo audivit quamdam esse virginem, pulchritudine eximia *Philosophiam* nomine dictam, quum, virtutibus cunctis accedentibus, longissimo per medium cœlum itinere primum supplex accedit ad Jovem; deinde, quum Jupiter benignus votis annuit, ad Philologiæ domum pergit. In via Martianus describit tum cœli templa et eorum incolas, tum sapientes illos, quibus antiquitas tanto lumine effulsit; nec non septem artes ingenuas, Philologiæ famulas, in septem libris ordine depingit. Tandem, astantibus diis omnibus, conjugium Philologiæ et Cyllenii statuitur.

Hujus carminis fabula, ut nunc facile intelligi potest, inventione, proposito, varietate, ordine, *Anticlaudiani* et aliorum poematum *Anticlaudiano* nostro similium, præcipuum exemplar fuit.

III. — De Boetio.

Boetius tandem, inter Romanos dignitate et ingenio præstantissimus, majoribus clarissimis natus atque ortus ex illa gente Manliana, quam Romanus populus veneratione prosequi solebat, ineunte seculo sexto poeta claruit. Qui vir, Symmachi, amplissimi atque ornatissimi viri, filia in uxorem accepta, omniumque studio et amore conciliato [1], ab ipso Theodorico Magno suum regnum in Italia stabilius facere cupiente, honorificentissime fuit exceptus, quin etiam cumulatus honoribus et ornatus. Mox autem, gentem Gothorum quomodo ex Italia, patria sua, expelleret, machinatus fuisse arguitur [2]; et quamvis absens, condemnatus [3] Ticinum exsul mittitur; qua tandem in urbe, plectitur capite (an 525) [5].

Exsilii quidem sui dolorem ut aliquantum levaret, Boetius *libros de Consolatione Philosophiæ* scripserat. Quum, capitis

[1] Procop. *Goth. bell.*, lib. I, cap I.
[2] Cf. *Consol. Philos.*, lib. I, pros. 4. — Migne, *Patrol.*, LXIII, col. 624.
[3] *Ibid.*, col. 628.
[4] Cf. *Dissert. sur l'année de la mort de Boèce.* — Migne, col. 1555 et seq.

reus, in carcere languesceret, et in animo, morte jam imminente, recogitaret quam subita, quam horrenda, imo quam immerita esset illa, qua opprimebatur, calamitas, tristitiam suam flebili carmine solari tentabat, stiloque in tabulis querimoniam conscribebat tacitus. Mox nimio dolore incensus, de Deo vehementer queritur, et eo adducitur ut Divinam Providentiam omnino neget, aut saltem valde dubiam faciat. Tum repente videre sibi videtur quasi quoddam e cœlo demissum numen, Philosophiam, quæ eum gravissimis verbis erigit reficitque. Quæ quidem venerabili vultu, ardentibus oculis, statura vero ambigua; nunc enim ad communem sese hominum mensuram cohibebat; nunc vero vertice pulsare cœlum videbatur. Vestimenta erant tenuissimis filis, et subtili artificio perfecta; dextra libellos, sinistra vero sceptrum tenebat. Vix autem Philosophia Musas vidit (metricis enim verbis querelam suam scribebat Boetius) versus Boetio dictantes, quum ira quasi commota, torvisque oculis inflammata, has meretriculas, Boetio stupente, non leniter fugavit. Tunc quidem propius accedit et Boetium mœrore confectum humique jacentem vehementer reprehendit : « Nunc vero, inquit, medicinæ tempus, non querelæ. »

Quæ dum loquebatur, agnovit Boetius nutricem suam, Philosophiam. Mox oritur de Providentia divina disputatio; Boetius quidem causas offert, cur sibi non liqueat utrum Supremus Rector existat necne; Philosophia autem omnia, quæ a Boetio adversus Providentiam proponuntur, argumenta confutat, Boetiumque ipsum invictis rationibus cogit saniorem de Deo sententiam suscipere.

In *Anticlaudiano* nonnullas partes hujus carminis, a Boetio exarati, et præsertim illam partem, in qua depingitur Philosophia, adumbrari manifestum est.

Quæ quidem de carminibus Claudiani, Martiani, Boetiique diximus, huc tantum attulimus, ut omni legenti clarum et perlucidum fiat *Anticlaudianum* nostrum οἰκονομιάν, lineamenta, formam et vestigia denique horum operum fere innumera ostendere. In his poematibus auctores ante omnia in animo habebant ut doctrinas in medio positas disponerent feliciter, verius quam res cogitarent prorsus novas : aut fallor, aut in hoc reponenda est causa præcipua cur illo tempore plerique poetæ, qui studebant ut res jam cognitas proferrent, talia opera in exemplum sibi arripue-

rint. Nemo est qui non videat multo facilius esse hujusmodi opera, quæ arte communiter accepta composita fuerunt, quam opera quæ, ut Virgiliana, ex ingenio processere, adumbratione exprimere. Quæ vero imitari non solum Alanus, sed etiam multi, ne dicam plerique poetæ, qui undecimo duodecimoque seculo floruerunt, pulchrum sunt arbitrati; quod quidem, ut proferam qua affinitate carmen Alani et horum poetarum opera conjungantur, non modo asserere, sed etiam paucis verbis probare nunc oportet.

I. — De Balderico Dolensi.

Baldericus ille, episcopus Dolensis, in Britannia minore, anno 1046 natus est; obiit autem anno 1130. Inter opera quæ scripsit, poema quoddam Adelæ comitissæ, Gulielmi ducis filiæ, dicatum adscribitur. Ea est hujus poematis fabula, ut ejus ope Baldericus poeta, Capellam imitandi causa, omnes disciplinas suo tempore vigentes descriptione potuerit exponere. Initio enim operis auctor fingit se in Adelæ thalamum, in quo miratur res novas et stupendas, mente translatum esse. Peripetasma quoddam [1], in quo depingitur Britannia armis Gulielmi parta et domita, ei est occasio narrandi qua de causa, quibusque armisque debellata fuerit. Sed quum disciplinas tum florentes præcipue ante oculos ponere velit, mox suspicit cameram, qua torus Adelæ tegitur, quaque convexa cœli depicta imitatione exprimuntur; in qua describenda non modo sententias, sed quoque verba eadem, quæ Alanus postea, adhibet, ut videre licet ex versibus quos inferius ponemus [2]. Paulo post, adspectis tum pavimento, tum vermicu-

[1] Omnes habent notitiam illius insignis peripetasmatis, vulgo *tapisserie de Bayeux* dicti, in quo res eadem depingitur.

[2]
Algens Saturnus, inopacus decrepitusque,
  Quem veterana facit frigiditas sterilem.
Vix in ter denos cursum piger explicat annos,
  Tam lento superam circuit ipse pede.
Stella benigna Jovis, et patre citatior ipsa.
  In bis sex annis signiferum peragrat.
Horridus et siccus Mars, belliger immoderatus,
  Sive furit flammis, sive cruore rubet.
Ipse repentinos mortalibus edere morbos
  Dicitur, aut populos horrida bella parat;
Signiferum fertur annis lustrare duobus
  Estque diu Martem cernere cum nequeas,

latis ad effigies rerum animaliumque crustis, describitur terra, necnon mirabilia quæ complectitur; tandem, quum statuas, quæ torum sustinent, animadvertit, tum Philosophiam, tum ejus septem famulas, artes ingenuas dico, verbis tersis et politis definit et figura effingit [1].

Hujusmodi fabulam Gualterius de Insulis seu de Castellione, Alani æmulus, plerumque, saltem in his partibus, in quibus inveniuntur tum disciplinarum eo tempore valentium descriptio, tum præsertim cœli et septem artium pictura, adumbratione prope servili in *Alexandreide* sua prosecutus est [2],

II. — De Johanne Hanvillensi et Henrico Septimellensi.

Credunt Johannem Hanvillensem circa finem duodecimi seculi vixisse; quo verum anno natus sit, quo mortuus, omnino incertum est; unum tantummodo constat, *Archithrenium* nempe, ejus carmen, ante annum 1185 exaratum fuisse. Itaque parum liquet utrum ante *Anticlaudianum* composuerit necne.

In Archithrenio Johannes voluit vitia, quibus homines opprimuntur, in lucem proferre et deflere. Propositum itaque illius carminis cum proposito operis, quod inscripsit Alanus *De Planctu Naturæ,* maxime convenit; fabula vero, quam evolvendo suum consilium perficit, *Anticlaudiani* fabulam manifeste refert.

Poeta primum quemdam inducit Archithrenium nuncupatum,

Fulgebat Veneris formosa, binomia, stella,
  Roscida, clara micans, et gemina specie :
Esperus est sero, mane quoque Lucifer ipsa;
  Sero Venus fulget, maneque ridet ovans.
Stella salutaris applaudit amantibus ipsa,
  Ocior hæc anno signiferam peragrat :
Nam quadraginta ter centum octoque diebus
  Expleto cursu, lucida stella redit.
Mercuri facunde, tibi facundia linguæ
  Creditur, atque simul mercibus ipse faves.
Ut decet, est rutili tua prospera forma coloris,
  Tuque novem metis ocior es venere.
Contiguat solis vestigia sidus utrumque,
  Ambo tenant solis e regione viam.

(*Ad Adelam Comitissam*, v. 693-719.)

Animadvertas precor stellas errantes in ordine contrario apud utrumque poetam positas esse, V. *Anticlaudi.* Lib. IV, cap. VI, VII, VIII.

[1] *Poème adressé à Adèle, fille de Guillaume le Conquérant, par Baudri,* publié par Léopold Delisle, Caen, 1871, in-4°.

[2] *Gualterii de Insulis dicti de Castellione Alexandreis...* rcensuit F. A. Mueldener. Lipsiæ, 1863, in-16.

virilem jam ingressum ætatem, secum deliberantem de moribus honestis. Qui, quum virtuti nusquam esse locum reperit, de Natura queritur [1] quod tot et tantis vitiis homo miser sit obnoxius. Quamobrem adire statuit Naturam, ab ea auxilium in vitia nefanda impetraturus [2]. Hanc autem dum passim per varia loca quærit, Venerem, Ambitionem, Avaritiam, totamque Vitiorum cohortem offendit; nec ubique terrarum, nisi lacrimarum causas, invenit. Multis tandem terris peragratis, Thulem, insulam clarissimam, ingreditur, ibique Philosophos, tum antiquos, tum recentes [3], videt auditque de virtutibus et vitiis disputantes. Tandem, in hac insula occurrit Naturæ, cujus eximiam formam potestatemque miram describit poeta. Quæ, Archithrenio benigne suscepto, primum ostendit homines miseros esse ea tantum ratione, quod modum fugiant et in omnibus excedant; deinde duos de astrologia et mundi partibus sermones profert. Attamen, Architrenium Natura solatur levatque, et ei Moderantiam, virginem præclaram, quæ ei contra vitia erit auxilio valentissimo, nuptum tradit : quam Archithrenius, ad modum figmenti a Martiano quondam usurpati, sibi connubio perenni et amore valido, adstante Fortuna, adjungit. Hinc jam virtus ubique terrarum valet, succeditque vita beata ac tuta, nullis adversis rebus obnoxia. — Carmen illud in novem libros dispertitur, ut *Anticlaudianus*.

Quibusnam vinculis utrumque carmen conjungatur, omni, quicumque legerit, fit manifestum. In utroque similis fabula, simile propositum, imo simillimæ partes. Præsertim vero animadvertere oportet loca, in quibus describuntur Natura, domus ejus et opera, Archithrenii preces ad Naturam, cœlum, Fortuna, vitaque beata, quæ connubium Archithrenii Moderantiæque subsequitur; quin imo, utrumque carmen eisdem sententiis verbisque, a Statio poeta usurpatis, finem accipit :

O longum studii gremio nutrita togati,
Ingenii proles rudis et plebea, libelle,
Incolumis vivas, nec te languescere cogat
Invidiæ morsus!...
Sub fati tenebris me notescente diescat
Hic liber, et famæ veterum feliciter annos
Æquet, in æternum populis dilectus et ultra [4]!

[1] In hujusmodi operibus fere semper *Natura* in medium adducitur.

[2] Cf. Martianum Capellam, p. 53, 54.

[3] Hi sunt omnes qui in *Anticlaudiano* proferuntur.

[4] Cf. superius, p. 47, Anticlaudiani epilogum. — Simler, *de Archithrenio*, Parisiis, 1871, in-8°.

Cum Archithrenio carmen *de diversitate Fortunæ et Philosophiæ consolatione* Henrici Septimellensis, nonnullis in partibus magnam profert affinitatem, necnon cum Boetii opere, cujus fabulam adumbrat. Henricus ille, ex Etruria oriundus, e pago quodam agri florentini, *Pauper* vulgo appellabatur. Suum poema, quod mille tantum versibus constat, in quatuor libros divisit. In primo, res adversas, quibus premitur, deflet poeta; in secundo, Fortunam, Henrici Hanvillensis instar, acriter increpat : quæ vero dea, ut Henricus æquo animo fatorum imperiis subjiciatur, varia exempla hominum, qui multo pejora passi sunt, memorat. Henricus autem, his verbis auditis, incensus ira, in querelas conviciaque in Naturam ruit magis ac magis, quum subito oculis ejus Philosophia sese offert. In tertio, Philosophia, juvenis quondam altrix almaque magistra, illum graviter primum reprehendit; deinde autem alumnum, miseratione mota, solatur. Hic describuntur Philosophia et septem ejus famulæ, septem nempe ingenuæ artes. In quarto tandem libro, Philosophia, in exemplum adductis Jeremia, Job et præsertim Boetio, Henricum ad casus fortunæ adversos fortiter tolerandos hortatur.

III. — De Bernardo Carnutensi.

Bernardus Carnutensis circa medium xii seculi vixisse et ante annum 1196 obiisse constat [1]. Omnium poematum, quæ cum *Anticlaudiano* nostro connectuntur, nullum, ni vehementer fallor, clariorem quam hujus auctoris *Megacosmus* et *Microcosmus* similitudinem præ se fert : quod ex descriptione carminis hujus clare apparebit.

In parte, quæ *Megacosmus* dicitur. mundi totius compositionem exponit describitque Bernardus. *Naturam* primum fingit, quæ cunctas res quasi chao tenebrisque sepultas aspiciendo acriter *Noym* (νοῦν) seu Providentiam increpat, quod mundum confusione perpetuaque nocte oppressum tam diu reliquerit, eamque precatur ut ex inordinato in ordinem res omnes adducat. His vocibus excitata, Noys magnum opus aggreditur. Itaque, primum quatuor elementa dividere, deinde novem *Angelorum* choros dis-

[1] Cf. *Histoire littér. de France*, t. XII, p. 263, etc.

ponere, constituere cœlum, stellas creare et errantes et cœlo fixas; quatuor postremo regiones cœli terramque producere. Postquam terræ partes et mirabilia, quæ continent, depinxit, Bernardus *Megacosmi* sui finem facit.

In parte sequenti, nempe in *Microcosmo*, cujus cum *Anticlaudiano* præclarissima est similitudo, poeta studet *hominem* describere et ejus creationem ostendere. Quo facilius homo seu animal intelligentia præditum, perficiendi mundi causa, creetur, Providentia Naturam jubet viam ingredi ut Uraniam, astrorum reginam, cujus opera omnino necessaria est, requirat. Statim Natura pergit ad regionem longinquam, æthereum, nomine *Anestrum,* ubi suspicatur Uraniam habitare. Ibi autem quum eam non reperit, Natura, parata omnia fortiter perpeti, quinque parallelos cœli circulos, a Boetio quondam fictos, peragrat, et ad lacteam viam pervenit. Haud longe a signo Cancri omnes animas ad corpora animanda reservatas invisit. Inde viam dirigit ad Solem; quo quum devenit, ex hoc loco summo omnia, quæ subter pedes volvuntur, lustrat oculis, sed nusquam *Uraniam* adspicit. Tandem, quum ad *extremum cœli circulum* pervenit, en subito occurit dea *Pantamorphos* (sic nuncupata, quia omnibus rebus creandis præsidet), quæ Naturæ Uraniam ostendit.

Ut primum Urania adspexit Naturam, causam itineris intellexit. Postquam vero multum collocutæ sunt, Urania auxilium suum ad hominem formandum pollicetur. Antequam tamen corpori conjungatur, mens humana omnes virtutes, quibus perficiatur, acquirere debet : quapropter Urania Naturaque eam perducent per stellas errantes, ut discat quid valeant planetæ in res terrestres, nec quid sit necessarium, quid sit liberum, ignoret. Ceterum, Urania corpus humanum nil ad se, sed ad deam *Physim,* in his rebus creandis valde peritam, attinere asserit; Naturam tamen benigne ad Physim ducet. Tum, accedente anima quadam, iter faciunt per planetas et orbes cœli singulos invisunt; tandem, longissima via confecta, ad Paradisum Terrestrem perveniunt. Ibi, inter *Paradisum Terrestrem* media, Physis invenitur : quæ, petentibus Natura et Urania, creat et perficit humanum corpus, quocum connubio conjungatur mens humana.

Illud Bernardi poema, cujus argumentum exposuimus, scriptum est tum prosa tum versibus[1].

[1] Cf. *Hist. littér. de France,* XII, p. 266 et seq.

Omnia carmina, quæ in medium protulimus, quum leguntur, non potest non animadverti quam sæpe illius ætatis poetæ, qui genus scribendi *dogmaticum* sunt amplexi, eadem artificia adhibuerint. Ut proderent suas sententias, iter quoddam per mundum prope omnes finxerunt : ita fecisse Capellam ; ita post Capellam, Joh. Hanvillensem, Bernardum Carnutensem, et Alanum nunc omnibus constat. Quæ ratio scribendi poetica quam bene sit apta ad propositum, quod persequuntur auctores, ex eo intelligi potest quod eam, variis temporibus, scriptores multi, qui doctrinas in commune bonum disseminandi ac diffundendi consilium inibant, sæpe arripuerint[1].

VI. — De lingua ; de arte poetica Anticlaudiani[2].

Ævo medio, tempus et necessitas flagitabat ut tum grammatica, tum ars poetica paulatim immutaretur[3]. Scriptores enim primum verba nova et simplicia, ut res sensusque recentes hominum animos rudes docerent, effinxerunt. In hoc præceptis Horatii indulserunt sequentibus :

... Quid autem,
Cœcilio, Plautoque dabit Romanus, ademptum
Virgilio Varioque ? Ego cur, acquirere pauca
Si possum, invideor ? Cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit ? Licuit semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen.

(Ad Pison, v. 54, etc.)

Itaque, nomina nova, ut facilius populum doctrina nova formarent, necessitudine coacti, creaverunt. — Deinde, latina lingua

[1] Antiquitus cum a Platone, tum a Tullio, accepta fuit, necnon, nostris temporibus, a multis auctoribus, inter quos clarissimus *Julius Verne*.

[2] Quamvis in scribendo purior sit Alanus, quam plerique illius ætatis auctores, prope infinitum esset explicare omnia et singula, quibus Alani lingua a lingua Tulliana disjungitur : hic igitur præcipua tantum referre nobis satis erit. — Barthius, ut *Historiæ Hierosolymitanæ* Balderici linguam enodaret, non minus quam centum paginas scripsit. — V. Ludwig, *Reliquiæ Manuscriptorum omnis ævi diplomatum ;* Francofurti et Leipzig, 1720, 12 vol. in-8°, t. III, p. 132-230.

[3] Vid. in hanc quæstionem Thurot, *Notices et extraits de divers manuscrits latins pour servir à l'histoire des doctrines grammaticales au moyen âge.* — Notices et extraits des Manuscrits de la Biblioth. Impériale, etc., t. XXII, seconde partie, in-4°, 1868, p. 501.

vulgaris, vel quum communis hominum lingua esse desiit, ad juvenes clericos instituendos servata fuit : quæ, theologiæ philosophiæque opera paulatim mutata, longe tandem fuit alia atque olim fuerat. Quapropter, ut omnem istius linguæ rationem intelligamus, necesse est memoria semper teneamus causas, cur ita fuerit ævo medio admodum inflexa.

I. — QUID PRÆCIPUUM IN LINGUA ANTICLAUDIANI NOTANDUM SIT?

1. — Quod si reperiantur in Alani poemate quædam vocabula inusitata, ut « penuriosus — inartificiosus — noys — extasis — plebescit — diescit, etc. », raro tamen istiusmodi verba inveniuntur ; nusquam vero voces quædam, quibus deformantur pleraque illius temporis opera, ut *probus* pro *viro forti* (preux) — *probitas* pro *virtute, qua strenui homines ducuntur ;* — *pensare* pro *cogitare ;* — *sapere* pro *scire ; pensa* pro *cogitatione ;* — *causa* pro *re ;* — *querela* pro *disputatione* etc.[1]. Fere enim semper Alani sermo purus videtur.

2. — Apud Alanum autem, necnon apud omnes auctores hujus ævi, verbis et abstrusis, et reconditis, et incertis, insignis est sermo. Quo enim a Tullii ætate magis recedunt auctores, eo quoque magis in abscondita et maxime involuta verba ruunt. Huc insuper a Religione nova, quæ corpori mentem multum anteponit, scribentium animi inclinabantur. In *Anticlaudiano* sæpissime versus invenimus verbis istiusmodi compositos :

Principium, finisque, modus, mensura, sigillum,
Rerum causa, manens ratio, noys alma, sophia
Vera, dies verus, lux nescia noctis, origo
Summa, decor mundi perfectus, vita perennis,..
(v. 2319, etc)

Æthereæ lucis genitor, fons, pastor, origo...
(v. 1921.)

... potestas,
Fons, splendor, species, via, virtus, finis, origo...
(V. 2181.)

3. — Insuper sedulo nobis est animadvertendum quam multis vocabulis Philosophiam redolentibus usus fuerit, necnon quam sæpe *verba* pro *nominibus*, græco more, adhibuerit : « *esse, essendi, usia,* etc. »

[1] Cf. Thurot, *Revue historique*, p. 377.

Unus in esse suo...
Efficiens causa, dum rem producit *ad esse;*
Formalis dum pingit eam; *finalis in esse*
Dum rem conservans certo sub fine coarctas. »
(v. 2533, etc.)

4. — Plerumque verba verborumque compositiones, quibus philosophi et theologi utuntur, accipit. Indesinenter itaque lector offendit voces « *quare,* — *qualiter,* — *qua de causa,* — *cur*, — *quomodo* — *quando,* etc. »

5. — Verbum « *ipse* » more æqualium, loco verborum « *ille, hic, iste* » confuse usurpat :

Sed soli Phronesi ducatum spondet, et *ipsi*
Consulit instanter...;
(v. 2289.)

Quod quidem non reperitur, nisi raro, apud Virgilium Horatiumque. Identidem quoque *suus* pro verbis *ejus, illius, eorum*, et vice versa, invenitur.

6. — Sæpius *verbum indicativum infinitivi verbi* loco ponit, et ambas partes sermonis, quasi quodam vinculo, particulis *quia, quod*, conjungit :

His verbis, gavisa poli regina benigno
Reddidit affatu, *quod* se præberet eunti
Consortem...
(v. 2286, etc.)

7. — Postremo, vel quum oblique interrogat, sæpissime *indicativum verbum* pro *subjunctivo,* more etiam græco, locat :

Quo duce, qua causa, quo fomite, quove patrono,
Providet, applaudit, blanditur, consulit orbi...
(v. 630 etc.)

Quin etiam, aliquando, delectu omni et discrimine remoto, utrumque usurpat :

Subjecti quæ forma facit...
Quæ generat, quæ mutat eam, quæ servat in esse :
Quid sit vel quanta, qualis vel quomodo sese
Res habeat, reliquosque status perquirit in illa.
(v. 458, etc.)

II. — De arte poetica in Anticlaudiano [1].

1. — *Culpæ in numeros.* — Poeta, qui validius ex omnibus temporis medii poetis certaverit in antiquitatem colendam, Joh. Sarisberiensis, sic de numeris poeticis locutus est :

. . . . versu
Ponitur interdum syllaba longa brevi,
Et brevis interdum producitur arte, sed idem
In sermone tamen sensus utrinque manet.
Et cum de sensu constet, pueriliter errat
Cui longam litem lana caprina facit [2].

Non vero miramur quod istiusmodi maculis fœdatur Alani poema : frequentiores hic tantummodo apponemus :

1° — Littera *o* sæpissime brevis habetur; quod apud veteres rarissimum est :

Nescio, non valeo, dubito, desisto, retardor...
(v. 393.)

Non video, non concipio, non judico memet,...
(v. 388.)

Cedo, nec ignavæ mendico quietis asylum.
(v. 413.)

2°. — Propria et certa vocabula hominum numeros aliquando licenter obtinent :

Dividit ut Socrates...
(v. 860.)

Abyssum
Virgilii, morsus Satyræ, Solonis asylum...
(v. 875.)

3°. — Syllaba *brevis* in *cæsura* fit sæpissime *longa :*

Hæc probat, ista facit, hæc disputat....
(v. 128.)

Sidera perquirit, ut Zetus pondera librat...
(v. 864.)

Instruit ut Seneca, blanditur ut Appius...
(v. 868.)

Concipit, exponit, imitatur...
Extramundanus orbis

A carceribus ad calcem operis talia nobis occurrunt.

4°. — Tandem, non raro vocales litteræ breves, quæ voces ter-

[1] Accidit perincommode quod liber, quem Alanus inscripserat *De Ratione Metrorum et Syllabarum* (vid. supra, p. 23), periit; hujusmodi enim opus quæstioni, in qua versamur, non minimum lumen admoveret.

[2] Joh. Sarisberiensis, *Entheticus*, v. 177-183; Migne, CXCIX, 969.

minant, ante vocabula a litteris *st, sp, sc,* initium accipientia, ponuntur : quod *sigmatismum* grammatici novi vocant : « sermo stupebit (v. 2153) ; — mentisque stuporem (v. 2547) ; — cœlestia stellas (v. 3382) : — contagia spernit (v. 2433) ; etc., etc.

2. — *Nugæ poeticæ.* — Versus illi, qui nuncupantur *leonini,* quibusque maculantur opera fere omnia illius ætatis, Hildeberti præsertim et Marbodi, in *Anticlaudiano* nusquam invenimus ; nugæ vero poeticæ quædam, quas pluris Alanus faciebat, copiose affluunt. Etenim :

1°. — Acervatim multa frequentat Alanus
Modo nomina rerum :

Scire modos, causas, rationes, semina, formas...
(v. 389.)

Ordo, materia, pars, finis, nomen et auctor,
Officium, species, genus, instrumenta, facultas... ;
(v. 939 etc.)

modo adjunctivas voces :

Quomodo compositum simplex, cœleste caducum,
Diversum fit idem, gravidum leve, mobile certum,
Obscurum lucens, pretiosum vile, jocosum
Flebile, perpetuum mortale, volubile flexum... etc...
(v. 426 etc.)

Æternum, cœleste. manens, immobile, certum ;

modo tandem verba :

Providet, applaudit, blanditur, consulit orbi...
(v. 632.)

Ampliat, extollit, ditat, defendit, honestat...
(v. 1005.)

His similibusque versibus completur, ut ita dicam, Alani carmen.

2°. — Aliquando contra, versus verbis diversis atque oppositis aut similibus vocabulis scribuntur. Paulo superius in exemplum quosdam versus jam protulimus ; paucos tantum addere nobis liceat :

Abstersit maculas, vincens virtute reatum,
Diruta restituens, reddens ablata, rependens
Perdita, restaurans amissa, fugata repensans, etc., etc.
(v. 2542 etc.)

Ipse gigas nano, fumo lux, dives egeno,
Ægroto sanus, servo rex, purpura sacco,... etc., etc.
(v. 2579 etc.)

A simili similis, a vero verus, ab uno
Unus, ab æterno nascens æternus, ab æquo
Æqualis, bonus a summo, sublimis ab alto...
(v. 2191 etc.)

3°. — Versus aliquando sic disponuntur, ut sensus diversos, prout verba diverse leguntur, proferre possint :

Illic	Donatus	rhetor	patronus	et hæres,
Grammaticæ	præcepta	docens	vitiumque	recidens,
Doctrina,	verbis,	studio,	ratione,	figura,
Ampliat,	extollit,	ditat,	defendit,	honestat.

(v. 1003, etc.)

Hi versus sic legi possunt : « Illic grammaticæ doctrina ampliat Donatus ; præcepta verbis extollit rhetor docens studio, ditat patronus, vitiumque ratione defendit, et hæres recidens figura honestat. »

Quomodo concordi	numerus ligat	omnia nexu,
Singula componit,	mundum regit,	ordinat orbem
Astra movens,	elementa ligans,	animasque maritans.

(v. 1328, etc.)

Sic legas precor : « Quo modo concordi singula componit astra *movens ;* — numerus ligat mundum, regit elementa *ligans ;* — omnia nexu ordinat, orbem animasque *maritans.* »

Hic videt	ingenitas	species,	speculatur	ideas,
Cœlestes	hominum	formas,	primordia	rerum,
Causarum	causas,	rationum	semina,	leges
Parcarum,	fati	seriem,	mentemque	Tonantis.

(v. 2792, etc.)

Sic lege : « Hic videt cœlestes causarum, Parcarum, fati causas ; — hominum ingenitas species, formas ; — rationum seriem speculatur, primordia, semina mentemque, ideas rerum, leges Tonantis. »

4°. — Anaphoræ, quibus eadem dictio bis sæpiusque in principio versuum vel in eodem versu repetitur, in *Anticlaudiano* abundant :

Sic myrti præsunt lauris, oleaster olivis ;
Sic saliunca rosis, vilis sic alga hyacinthis ;
Sic ovis a capra mendicat velleris usum ;
Sic tumidus torrens a rivo postulat undam ;
Sic solet a dauco narcissus quærere formam ;
Sic addit lucem candelæ flamma diei, etc...
(v. 521, etc.)

Qui versus versus Virgilio tributos in memoriam revocant :

Sic vos non vobis mellificatis apes, etc...

5°. — Frequentissima tandem nuga, cujus ope dictio similis iterum atque iterum repetitur :

Sideribus cedit, cedenti sidera cedunt...
(v. 1620.)

... Unicus auctor
Unus in usia, personis trinus, in uno
Unicus esse manet, quæ trina relatio trinum
Reddit, et in trino manet unus, trinus in uno...
(v. 2183, etc.)

Sol novus in terris oriatur, cujus in ortu
Sol vetus occasus proprios lugere putetur...
Solis in occasum sol alter proferat ortum...
(v. 559, etc.)

Alternantque vices, sibi quas partitur uterque,
Alter in alterius usum transcribitur; alter
Solis in occasu splendescit, solis in ortu
Alter, et alterni sibi mutua nomina donant,
Hesperus occasum comitatu, Lucifer ortum...
(v. 640, etc.)

Verberibus sic asperat ubera, verbera mollit
Uberibus; facto pater est et mater eodem,
Verbere compensat patrem, gerit ubere matrem...
(v. 914, etc.)

... mundi contagia spernit
Extramundanus orbis, mundique beata
Portio, *munda magis quam mundus...*
(v. 2437, etc.)

Ovidius de Orpheo mortuo dixerat :

Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis, respondent flebile ripæ.

VII. — Quid sit sentiendum de Anticlaudiano ?

Nunc tandem, antequam hujus partis finem faciamus, Alani poema quid valeat, quam late pateat, nobis disquirendum est. Primum quidem aliis longe aliter visum est de hoc carmine. Inter præclarissimos auctores, Barthius, qui non minimi faciebat Alanum, *Anticlaudianum* poema commendabat probabatque : rem enim hujus operis optime fictam excogitatamque, necnon puro dicendi genere commendabilem ita dicebat, ut auctorem « homi-

nem ingenii admirandi et poeticis etiam litteris eo tempore nulli comparabilem » asseveret [1]. Post Barthium, Bullæus Giraldum, quod Alano crimini dedit quosdam sermonis errores, vehementer et acriter reprehendit [2]. Quidam seculi proximi scriptor, cujus auctoritas multum valet, nimis acer æstimator et judex *Anticlaudiani* mihi videtur, quippe qui falsis opinionibus ætate sua prorsus acceptis in opera, quæ ævo medio in lucem prodierunt, magis ductus fuerit, quam ut rectum de Alani opere aliquid existimare valuerit; insuper de *Anticlaudiano* ita scribit, ut hunc librum ne legisse quidem videatur [3]. Leyserus, Heindricus, Legrand d'Aussy, Jourdain, Hauréau, necnon ipsa *Historia litteraria*, quamvis plerumque opera ante seculum decimum octavum scripta parvi faciat, nonnulla verba, quæ non minimæ laudi sunt *Anticlaudiano*, protulerunt [4].

Nostro autem judicio, errant pariter, et ii qui nimis deprimunt opus Alani, et ii qui nimis illud extollunt. Auctores quidem omnes, qui *Anticlaudianum* despiciunt, imo pro nihilo putant, in hoc maxime peccant, quod eum cum operibus ætate Virgiliana compositis conferunt. Revera, epica carmina, quæ antiquitus maxime floruerunt, quadam ratione imitatur; præcipue vero illa carmina quæ, labentibus annis, ætate litterarum latinarum extrema, scripta fuerunt atque illustrata. Libenter equidem fateor tum concilium sermonesque Virtutum, tum cujusque Virtutis et Vitii descriptionem, tum sedis a Natura habitatæ fictionem et cœli *Empyræique* figuram, tum denique certaminis, quod ineunt Vitia contra hominem perfectum, et postremo mundi beati, pace regnante, picturam; hæc, inquam, fateor veteribus poematibus, præsertim cum carminibus Lucani Claudianique, qui maxime personas allegoricas induxerunt, maxime convenire. Iis tamen scriptoribus longius infelici gradu pergit noster poeta, quippe qui potissimum adumbraverit,

[1] Barthius, *Adversariorum*, lib. VIII, cap. II. — Cf. *Commentarios ejus in Gulielmum Britonem*. — *Animadversiones ad Pappirii Statii Thebaidem*, p. 401.

[2] Bullæus, *Hist. Univers. Parisiensis*, t. II, p. 322-323.

[3] Baillet, *Jugements des Savants*, Paris, t. IV, — et *Satires personnelles*, Anticl., t. VII.

[4] Cf. *Chron. Hendric. Pandecta* Brandeburgiæ. — Leyserum, *Histor. poeta.* et *poem. æv. med.*, p. 1096-97. — Legrand d'Aussy, l. c. — *Hist. litt. de France*, Dom. Brial, l. c. — « L'Anticlaudien est plein de peintures ingénieuses. » Jourdain, op. cit, p. 27-283. — « Il est incontestablement ingénieux. » Hauréau, op. cit., p. 352.

ut modo diximus, Martianum Capellam et ejus imitatores. Hos autem apud auctores, paulatim recedunt veri homines evanescuntque; iis contra succedunt personæ, nescio quam inanem et vacuam allegoriam præ se ferentes; neque animo, neque corpore concretæ; frigidæ et exsangues. Quapropter, si Virgilii, imo etiam Lucani, Statii et Claudiani carmina attendes, opus Alani ludus quidam, et, ut ita dicam, officina dicendi quædam verius quam poema merito habebitur:

> **Scribendi novitate vetus juvenescere charta**
> **Gaudet, et antiquas cupiens exire latebras,**
> **Ridet, et in tenui lascivit arundine musa.**
> (*Auctoris præfatio altera.*)

Non ideo omni virtute caret *Anticlaudianus*. Quod si illa pulchritudine eximia iisque motibus animi, quibus antiqua carmina clarent, destituatur, non modo fabula, sed etiam aliquando stilo illum commendabilem esse arbitror. Paucos enim poetas, credo equidem, inveniesq ui mentem uberiorem ostendant. In eo enim res optime concepta, insignis omnium partium concentus, egregiæ descriptiones, necnon tandem multa præclare ficta apparent, quæ animum minime inopem significant. Omnia præsertim acutissime concinneque distribuuntur. Quod si quando nimis sit sollers Alanus in rebus fingendis, quibus constant carminis sui tum fabula, tum personæ, ita tamen eas potest architectari et conjungere, ut, occasione data, omnes disciplinarum explicationes, quas tradit, illaboratæ fluant. Religionem quidem fabulamque parum cautus aliquando permiscet, et Deum Virginemque præclaram juxta Venerem et Alectum ante oculos ponit; in hoc vero apparet ita moderatus, ita prudens, ut sola Vitia commentitii et ficti dii videantur.

Sermonem autem formamque dicendi si animadvertes, Alani linguam, cum a lingua illa molli atque eleganti, quæ, imperio romano jam ad ruinam prono, fuit prorsus accepta; tum ab oratione affectata et nimis exquisita illius temporis, quum apud nos litteræ romanæ instauratæ et renovatæ fuerunt, longe abesse æquo jure judicabis. In *Anticlaudiano* enim, nec levis oratio Claudiani, nec Secundi argutus politusque sermo invenitur. Quum autem lingua, quam ævo medio usurpant cuncti, putatur esse lingua perfecta et completa, quam vita hominum consuetudoque ex necessitate suscepit, mirantur omnes quam sit Alanus in dicendo mo-

deratus, sincerus atque emendatus. *Anticlaudiano* quidem inuruntur maculæ, quibus nemo ignoscere potest; magis tamen temporibus illis barbaris ac rudibus, quam scriptoris ingenio, jure tribuntur.

Quod si quando nimis acute et tenuiter res varias et prorsus diversas assimilet, eas tamen sic confert, ut sese magna cum gloria ex difficultatibus expediat. In hoc maxime peccat, credo equidem, et vitium contrahit, quod de industria et libenti animo a carceribus ad calcem carminis sui refert paria paribus, contrariis contraria opponit : qui ludus scribendi, Claudiano haud semel vitio jure datus, multo pejor et gravior est apud Alanum. Poema tamen nostrum sententiarum ubertate et copia eminet, nec raro translationum audacia effulget; laudatur præsertim nervis verborum et hexametro versu acerrimo et nudo. Nunquam forte latini veteres poetæ sententias tam pressas versu expresserant. Quapropter versus *Anticlaudiani,* licet sint pergraves et tardi, tam sententiarum pleni et validi apparent, ut robur et, ut ita dicam, animi vigorem, quibus gentes novæ commendantur, præ se ferant.

PARS SECUNDA

DE ANTICLAUDIANO ET DIVINA COMŒDIA

Anticlaudianus, qui, ut jam vidimus, cum quibusdam operibus ætatis aut anteactæ aut æqualis clara affinitate connectitur, conjunctionem quoque insignem cum pulcherrimo poematum omnium, quæ tempore medio composita fuerunt, nempe cum *Divina Comœdia,* manifeste præ se fert : quam conjonctionem, et, ut ita dicam, cognationem germanam nunc in luce ponere oportet. Alanum enim præcipue propter hanc causam laude dignum arbitramur, quod Alighiero suam *Comœdiam* scribenti quædam præclara nec minimi pretii imitanda ostendit atque exhibuit. Illud nobis videtur tanti momenti faciendum esse, ut, etiamsi nulla alia re commendaretur, ea saltem profecto Alanus dignus esset, cujus memoria non deleretur oblivione. Nam, si revera Dantis Alanique opera vinculo quodam junguntur, immortalis hujus gloriæ, qua cumulatur Dantis *Comœdia,* partem aliquam Alani *Anticlaudianus* obtinere merito potest.

Diu quidem multi persuasum habuerunt Dantis poema ab omnibus exemplaribus omnino discedere veteribus, nec cum ullo medii temporis carmine comparari posse. Peritiores autem postea fuerunt, qui rem aliter fuisse sunt suspicati. Nam quivis ingenio magno vir, quamvis fere omnia, quæ invenit, e sua mente exhauriat, non pauca tamen a præterito aut præsente tempore vel inscius mutuatur. Quemadmodum enim corpus humanum non solum e seipso, sed etiam ex omnibus, quibus circumdatur, victum et vitam accipit, ita ingenium aliis ingeniis sæpissime alitur

nutriturque [1]. Itaque, cum pro certo haberent Dantem parata, unde sumeret suum poema, invenisse, quosnam auctores in exemplum elegisset summa cum cura disquisiverunt. Inter quos vir non nullius ingenii, in scribendo peritissimus, multus in admiratione Dantis, *Divinœque Comœdiœ* altus interpres, labore assiduo sagacique cura recensuit [2] : mirabile quidem opus, sed non ex omni parte, credo equidem, absolutum. Nam, poetis jam in medium prolatis Alanus noster poeta adjungendus est : quod quidem ad hæc usque tempora nunquam fuit indicatum.

I. — Utrum veri simile sit Alani Anticlaudianum a Dante Alighiero fuisse cognitum?

Quæ de tempore, vita, fama, operibus, scientia et auctoritate Doctoris Universalis diximus, habent hanc vim ut Alani opera et præsertim illud, de quo hic agitur, poema, fuisse a Dante cognita lectaque jam quasi sponte credamus. Quis vero fuerit hic magnus poeta magis sciunt omnes, quam ut necesse sit ejus vitam hic narrare : unde tantum quod ad opus nostrum pertinet tractare satis erit. Alighierus natus est anno 1268, sexagesimo anno circa post Alani mortem. Quo tempore nostri poetæ maxime in honore erant opera, se ad studium litterarum contulit tum Florentiæ, tum Bononiæ, tum denique Patavii. Sed brevi a patria, in quam reversus erat, depulsus, ab iniquissimis adversariis agitatus, variasque per nationes iter faciens exsul, Lutetiam tandem venit, qua in urbe præclarissimos magistros ad disciplinarum viam ingrediendam habuit.

Quod si certo designari nequeant temporum ipsi articuli, in quibus *Anticlaudianus* inter libros, quos perlegebant discipuli in scholis, adscriptus fuit, ex his tamen rebus, quas retulimus, concludi jure potest *Anticlaudianum*, quo tempore Dantes commoratus est Lutetiæ, vel jam antea, apud omnes maximam laudem

[1] Nam, ut ait quidam gallicus auctor, jure dignus qui Dantis ingenium in lucem proderet : « Il n'y a que la Rhétorique qui puisse jamais supposer que le plan d'un grand ouvrage appartient à celui qui l'exécute. » V. Cousin, *Introduct. à l'hist. de la philosophie*, XI[e] leçon.

[2] Fr. Ozanam, *Les Sources poétiques de la Divine Comédie*; Paris, 1852.

meruisse. Initio enim seculi tertii decimi, qua ætate obiit Alanus, scriptores æquales Doctorem Universalem *Anticlaudiani scriptorem* jam unanimi voce nuncupant [1]. Ut autem vir quidam eo nomine, quod inscripsit in libro suo, designari queat, omnino necesse est liber ille sit notus non solum apud omnes, sed etiam communi sermone celebratus; nec ob aliam causam Petrum Lombardum, ut omnes sciunt, *Sententiarum magistrum* dixerunt. Imo, quo tempore vixit Alanus, vel paulo post ejus interitum, scriptor quidam, cum Doctore Universali amicitia conjunctus, *Anticlaudianum* illustraverat notationibus; nec non Adamus de Basseya, Alani admirator et civis, qua ætate Lutetiam Dantes devenit, idem carmen commentariis exornavit. Insuper, luculentis verbis duo auctores, Eberhardus Bethuniensis nempe et auctor *Pugnæ Septem Artium* [2], *Anticlaudianum* XIII seculo in manibus omnium fuisse Parisiis fidem faciunt. Tandem, si res aliter se habuisset, nescio num reddere possent rationem, quemadmodum tam multi *Anticlaudiani* codices manu scripti superfuissent. Minus itaque in dubio est quin Dantes nomen Alani audiverit; unde non immerito suspicari possumus *Anticlaudianum,* ex omnibus Alani operibus clarissimum, ad ejus aures devenisse.

Florentinum apud poetam cumulata et perfecte absoluta omnium, quæ antiquitus vel ejus tempore scripta fuerant, cognitio erat : omnium enim magistrorum in arte bene et recte scribendi Dantes erat discipulus; omnium doctorum, qui illo seculo floruerunt, sectator aut adversarius. Primum septem artes a Brunetto Latino, suo magistro, edoctus fuit [3]. Deinde, græcam linguam (cujus multi erant rudes) voluit discere, et latinum sermonem adeo excoluit, ut, romanarum litterarum omnino peritus doctusque, omnes poetas latinos diurna nocturnaque manu versaret, illumque, quem præ ceteris diligebat, Virgilium teneret memoria. Neque his contentus, et Hispanorum, et Gallorum, et aliarum

[1] Cf. Albericus de Tribus Fontibus, l. c.

[2] Vide supra, p. 27.

[3] Brunettum Latinum, quum in Galliam venisset et diu Lutetiæ demoratus esset. (ab an. nempe 1260 ad an. 1284), *Anticlaudianum* legisse veri simillime est. Singularem enim astrologiæ, cujus in *Anticlaudiano* mirabilis invenitur descriptio, quam pedetatim Dantes secutus est in sua *Comœdia,* notitiam habuit; insuper omnium disciplinarum summam, cui nomen *Thesaurus* est, Parisiis composuit; quem librum, in patriam reversus, in lucem edidit. Vide superius quod diximus de rerum summa, qualis invenitur in *Anticlaudiano,* p. 35.

gentium sermone poterat uti; insuper, rhetoricam, physicam, astrologiam perpenderat; vel etiam, Arabum investigationibus studendi causa, tempus suum consumebat; neque solum inter poetas et doctos, sed inter medicos et jurisperitos meruit adscribi. Sed quamvis tot et tam diversas cognitiones amplecteretur, philosophiam et theologiam laudibus præcipuis et amore maximo videbatur prosequi : philosophiam mentis suæ dominam esse dictitabat; denique, omnibus rebus humanis posthabitis, divinarum rerum ardentissimo amore incensus, omnem curam, omnem operam in sacram theologiam contulit.

Adde etiam quod in primis omnia, quæ tunc temporis edita fuerunt in lucem, carmina ita ab eo fuerunt accepta, ut, si dicere licet, carminum æqualium concentu ad suum carmen canendum incitatus fuerit [1]. Qui vero cuncta legerat, si quidem historicis et criticis fides tribuenda est; cujus mens ipsas Saracenorum curiose perscrutatus fuerat disciplinas; hunc, inquam, Europæ christianæ poemata effugere nequibant, *Anticlaudianus* præsertim, quo clarior illa ætate non facile invenitur, quique seculo decimo tertio multum commendabatur [2].

Tota hujus articuli summa est ut in medio ponatur Dantem, qui priscorum æqualiumque opera philosophica, theologica, et poetica perpenderat, Alani quoque opera et præsertim *Anticlaudianum* veri similiter novisse.

Quæ quidem huc usque diximus, conjecturam tantum, quamvis maximam, facere nos non præterit; hujusmodi vero conjectura, si tantum oculos referes ad rem argumentumque utriusque operis, brevi in certam rem vertetur.

[1] Cf. Frédéric Ozanam, *Les Sources poétiques de la Divine Comédie*, p. 353, etc.

[2] Quæ quum ita sint, haud mirum videtur auctores temporis sequentis unanimi voce Dantem *philosophum et theologum*, quem nullum « dogma » fugit, non immerito profiteri, testante hoc versu :

Theologus Dantes, nullius dogmatis expers.

Hic versus est primus epitaphii, quod fecit Giovanini del Virgilio.

II. — Utrum Anticlaudianus et Divina Comœdia re et proposito inter se concinant?

Ut omittamus notas, quæ fere omnibus illius temporis carminibus sunt communes, *Divinæ Comœdiæ* inest quiddam aliud peculiare, cujus tantum cum *Anticlaudiano* est particeps. Illud igitur nobis sedulo observandum est, quia ex eo præsertim utriusque operis pendet probaturque affinitas. *Anticlaudianus* et *Divina Comœdia* non modo, ut fatentur omnes, ad idem, quod *dogmaticum* vocant, genus pertinent [1], sed etiam multa tum de divinis, tum de humanis rebus similia docent; imo totius rei et compositione et artificio clare et manifeste inter se ita consentiunt, ut frustra hujusmodi similitudo inter alia carmina inquireretur.

Quid enim in *Anticlaudiano* Alanus, Dantes in sua *Comœdia* sibi proposuerunt? In *Anticlaudiano* exhibetur mentis humanæ, seu Phronesis, ascensus, Philosophia seu Ratione duce, iter facientis per mundum, qui ad interitum vergit, moxque, Theologia duce, relictis jam hujus orbis caduci finibus, per *Paradisum*, aut, ut ait poeta, per *Empyræum*, usque ad Dei Creatoris unius et trini pedes scandentis. In *Divina* vero *Comœdia* videmus Dantem, duce Virgilio, Philosophiæ vices gerente, iter facientem per tristes locos, in quibus cruciantur aut purgantur animæ vita defunctæ; deinde ad Deum usque unum et trinum ascendentem : unde vel primum apparet in utroque poemate mentem humanam eodem genere instituere iter ad Deum, ac per similem viam, imo per eadem astra, nobile incœptum perficere. Hanc autem totius rei in utroque carmine affinitatem et convenientiam, hunc utriusque poetæ consensum et quasi concentum, nos, pro virili parte, fabula primum *Divinæ Comœdiæ* breviter memorata, conabimur ponere in luce clarissima.

Quadam die Dantes, qui Phronesis nostræ partes absolute agit, facit iter per silvam, qua in media de via recta aberrat. Virgilius vero obviam ei procedit, qui per *Infernum Purgatoriumque*

[1] « Le poème de Dante est encyclopédique ; il renferme, dans son vaste sein, l'histoire, la science, la poésie tout entière d'un siècle. » Villemain, *Tableau de la Littérature au moyen âge*, XIIe leçon.

præbeat ductum. Antequam autem ultra pergant, quemadmodum de exitu itineris anceps et incerta apud Alanum Phronesis erigitur a Ratione, sic quoque dubius animo Dantes a Virgilio incitatur ad ingrediendam viam. Viros autem tum bonos aut malos, tum peritos aut rudes, iter faciendo reperit Dantes, sicque pervenit ad limitem positum, quo cœlum et terra, aut, ut rem a poeta significatam detegamus, scientia humana ac divina disciplina discernuntur. Is est limes, quo separantur Philosophia Theologiaque. Hunc finem tamen, ut hic animadvertere oportet, non in eodem loco atque Alanus noster reponit Dantes. Etenim Alanus, in astrologia plurimum versatus, eum finem trans stellas non errantes cœloque infixas, trans, inquam, Firmamentum illud, quod quum transgressa est, astrologia, disciplinarum humanarum extrema, ancipiti mente hæret atque ambigitur. Dantes vero eumdem finem *subter Lunam,* quæ siderum errantium prima habetur, constituit : ex his enim, quæ, Ptolemæi judicio, hunc componunt mundum, *Paradisum* finxit suum [1]. Quid autem ad opus nostrum ? Satis est nobis pro certo ponere, primum Dantem, in fine humani mundi, Phronesis modo in eodem fine hærentis, stare, ancipitem mente et nescientem quo via ducat ; deinde, quod majus est, quemadmodum Ratio, Phronesis dux, pergere ultra nequit, ita Virgilium, Dantis ductorem, ulterius procedere non posse.

Hic dum hæret anxius, Beatrix, induta puellæ pulcherrimæ forma, Dantis in conspectum se dat et viatori ad Deum pergenti se comitem et ducem itineris offert. Mox autem Alighierus deficit animo ; sed, aqua fluminis *Eunoœ* Mathildæ manu aspersus, ad vigorem revocatur. Tunc, paratus ad viam, per stellas, seu orbes cœlicos in *Paradisum* conscendit, eadem omnino via qua iverat Phronesis, quæ ipsa, deficiente animo, fuerat a *Fide,* potus cœlestis ope, refecta. Phronesis nostra, ut vidimus, ascenderat per Lunam, Mercurium, Venerem, Solem, Martem, Jovem, Saturnum, et stellas non errantes. Quin etiam, animadvertas sedulo precor Virgilium in conspectu Beatricis, et Rationem ante Theologiam brevi evanescere ; nec te fugiat a Virgilio aperte dici,

[1] **Sedulo attendamus regionem illam, quæ *Paradisus* a Dante vocatur, *Empyræum* ab Alano nuncupari : in utroque tamen opere de una et eadem regione manifesto agitur.**

quod dixerat Alanus, exactam rerum divinarum cognitionem humanas vires excedere, et neminem has res altissimas edoceri posse, nisi a Theologia seu Beatrice.

Tandem Alighierus cœlum ingreditur; sed, *Empyræo* adspecto, jam rursus mentis non compos, in subitum, ut Alani Phronesis, languorem incidit. Phronesi quidem, potu cœlesti ad vitam revocatæ, speculum quoddam, quo cuncta cœlestia, illæsa oculorum acie, possunt aspici, Fides obtulerat; Dantes quoque (mirandum!) aquam, quæ perfectiores facit, bibit, « ut oculi ejus fiant ardentiora specula[1] »; deinde cuncta cœlestia facile et aperte miratur. Eo quoque modo, quo Alanus, Dantes describit *Empyræi* delicias, beatosque incolas eorumque gloriam et merita. Tandem, antequam perveniat ad Deum, ducitur a D. Bernardo ad Mariam Virginem, quam quidem ex omnibus, qui vitam acceperunt, longe præstantissimam et a D. Bernardo laudibus cumulatam ipse magno cum gaudio contemplatur atque admiratur. Nemo nescit, credo equidem, quam splendido, quam exquisitissimo carmine effulgeat illa Beatissimæ Mariæ insignissima laus, in ore D. Bernardi a Dante posita. Alani etiam in poemate, summum *Empyræum* jam ingressa et jam in eo ut ad Supremum Numen accederet, Phronesis Virginem Mariam venerata fuerat; verbaque et sententiæ, quibus Divinæ Genitricis virtutes et gloriam cecinerat, valde similitudinem gerunt speciemque sententiarum, quæ apud Alighierum legimus.

Immenso tandem, quod inceperat, itinere completo, ante Deum unum et trinum Dantes pervenit et de divina natura magnifice et splendide disserit; Alanus ipse de natura divina loqui ausus erat. Dantes autem, quum, omnibus verbis deficientibus, non proferre possit nisi latentia, et operta, et obscuritate involuta, poemati suo statim facit finem; et merito quidem, ut qui, quum confecerit viam, tum absolverit opus. Attamen, num Dantes iter susceptum ita compleverat, ut deberet in cœlis semper manere atque in conspectu Dei stare in perpetuum? Minime profecto, credo equidem. Dantem enim rediisse in terram ex ipsa *Comœdiæ* natura et proposito conjicitur omni jure; imo ex opere ipso nonnunquam indicatur. At contra, Alani in poemate, res ipsa exposcebat ut e cœlis rediret Phronesis et Virtutum adiret con-

[1] *Parad.* XXX.

cionem ; nec minus necesse erat poeta depingeret viri perfecti adversus Vitia pugnam victoriamque insignem.

Hæc sunt, ut opinor, si utriusque operis adspexeris summam, præcipua quibus cum *Anticlaudiano* congruit *Divina Comœdia*. *Eadem* est mentis humanæ ascensio ; ex *eodem loco* profectio, nempe e terra ; ad *eamdem metam,* ad Deum dico, itineris terminus ; in *iisdem finibus* hærent Phronesis et Dantes et *eadem de causa ; eodem modo* tandem adjuvantur.

Nonne jam in his invenitur causa, quæso, cur illa, quam protulimus, sententia benigne accipiatur ? Nemo, credo equidem, fato cuidam singulari hanc similitudinem, hanc affinitatem tribuendam esse arbitrabitur ; in fato enim et in fortuna non tanta relucet prudentia. Quid ergo ? Ne obliviscamur quid senserint multi docti viri, quid probationibus minime contemnendis confirmari crediderint : Dantes, aiunt, prosecutus est imitatione tum sextum *Æneidos* librum, tum Sancti Alberti et Sancti Brendani itinera, tum D. Bonaventuræ *Itinerarium mentis ad Deum,* imo *Scipionis Somnium*[1], et illum Brunetti Latini librum, qui *Tezoretto* italice inscribitur[2]. Illud, inquam, eruditissimi viri, de quibus loquor, habent pro certo et fixo propter hanc causam, quod, ut Æneas in tartara, sic in inferos Dantes descendat ; ut Albericus et Brendanus, sic Dantes per *Purgatorium* et *Paradisum* faciat peregrinationem... Quid plura ? nonne vero meliore jure concludendum videtur Dantem diligenter operam dedisse, ut Alani etiam *Anticlaudianum* sequeretur, cujus *Divina Comœdia* speciem lucidam refert et imaginem exprimit ?

Idem alias propositum uterque poeta prosecutus est : philoso-

[1] Cf. F. Ozanam, *Des sources poétiques de la Divine Comédie.* — Charles Labitte, *La Divine Comédie avant Dante* ; Paris, Charpentier, 1845.

[2] Brunettum Latinum quodam in nemore a via aberrantem circumdant omnis generis animalia, quæ ad nutum cujusdam mulieris (nempe Naturæ) nascuntur ac pereunt. Ab illa vero muliere quærit Brunettus quomodo mundus fuerit factus, quomodo hnmanum genus lapsum fuerit in ruinam. Mox, relicta muliere, se tamen prius monitus ab ea brevi inventurum tres vias, proficiscitur. E quibus viis una ad Philosophiam, alia ad Vitium, tertia tandem ad Amorem ducit. Has revera mox reperit, et illam, quæ ducit ad Amorem sequitur, occurritque Ovidio, cujus ope tandem in suam revertitur. Quod quidem poema Dantes memoria repetere potuit, imo debuit ; sed ex eo res tantum singulares et minimi momenti mutuatus est, nedum in eo argumentum sui operis invenerit. Ovidius ipse, qui in eo carmine partes Virgilii, quales apud Dantem invenimus, quodam modo gerit, nihilo tamen speciem Virgilii hujus, qualis est in *Divina Comœdia*, refert.

phiam nempe *theologia* perficere et ideo homines docere sapientiam divinam majoris quam humanam doctrinam esse faciendam. Omnium divinarum atque humanarum rerum scientiam Dantes quum consequi exoptaret, vitam suam, ut refertur, diviserat in duas partes; quarum alteram philosophiæ, alteram vero theologiæ tribuerat; nec minus Alanus noster. Eadem profecto ratione Dantes et Alanus sua carmina distribuerunt in duas partes prorsus discretas; quarum in una de rebus *philosophicis*, in altera vero de rebus *theologicis* disseruerunt. Ex hoc igitur, quo loco mundum istum omni contemptu dignum despiciunt, res humanas aut divinas; has, quæ vel ab effectore divino ortum habent, vel quæ semper fuerunt, quarum ne una quidem eos fallere potest, contemplantur; deinde incitantur ut varias notiones et altas sententias suas in lucem proferant : quod perficiunt eadem ratione. Etenim omnium, quæ eo tempore vigebant, disciplinarum summam, miram dico philosophiam theologia mirabiliore consummatam ac perfectam, poeta uterque potuit adumbrare. Quod consilium ei, quicumque utrumque poema legerit, fit tam clarum lucidumque, ut varii auctores vel inscii inter se de hac re conveniant[1]. Insuper, poematibus Alani Dantisque exceptis, ex omnibus illius ætatis carminibus, quæ doctrinarum summam exhibuerunt, nullum, ni vehementer fallor, hujusmodi dispositionem rerum humanarum divinarumque ante oculos nostros profert.

Ad nihilum autem, nisi ut ad perfectionem ducat animum, valere utrumque poema omnes sciunt. Etenim, quum Dantes Alanusque scholæ, quam vocant *mysticam*, leges servarent, hunc

[1] *L'Anticlaudien* « est bien dans l'esprit du temps, inquit Hauréau, dans l'esprit de l'Église, qui, victorieuse de toutes les sectes, prétendait assigner à l'instrument philosophique, la raison, le rôle subalterne dont Alain se contente pour elle. » (Hauréau, l. c., p. 352, 353.) — Non aliter sentit de Alighiero Ozanam, et merito quidem : « Il était convié à faire voir la prodigieuse variété de ses connaissances et la profondeur de ses aperçus; il pouvait, poète didactique, ébaucher le système entier d'une admirable philosophie. » (*Dante et la Philosophie catholique au* XIII[e] *siècle*, p. 121.) — « On conçoit *cette association merveilleuse de Virgile et de Béatrix* (la Philosophie et la Théologie) pour conduire le poète, à la paix, à la liberté, à la santé spirituelle, qui est le principe de l'immortalité future. » (*Ibidem*, p. 137.) — In hanc questionem, cf. ejusdem libri p. 131-137.

Comparetti tandem : » Anche per Dante come per tutti gli scolastici la teologia sta alla vetta delle scibile *e la filosofia è subordinata ad essa come ancella* ». Comparetti, *Virgilio nel medio evo*, t. I, p. 292.

finem ante omnia consequi volebant : quapropter nihil dicunt, nihil sapiunt, nihil scribunt poetæ nostri, nisi ut homines ad virtutem hortentur. Quid est enim in utroque præcipuum ? omnia animo videas et supra naturam resque humanas te ipsum erigas ; et præsertim victoria, qua nulla est major, domes vitia necessarium censeas. Quid enim vult nobis depingere poeta, quum nobis repræsentat Phronesim, ex conversatione humanorum ad cœlestia tendentem ? quid, inquam ? vult profecto, ut jam præterire neminem potuit, ostendere quo modo possit homo a cœno vitiorum in mundum irruentium semoveri ; tum humana, tum divina disciplina, nempe sui ipsius, mundi, Deique contemplatione, ad virtutem redire et jam contra hostem humani generis parari. Tale propositum nos edocet Alanus ipse, primo, quum concilium Virtutum fingit ; deinde, quum in duobus libris extremis, describit victoriam hominis perfecti, et præsertim quum suum carmen inscribit *De officio viri boni et perfecti liber*[1]. Quid autem aliud Dantes efficit ? « La Fable, qui remplit l'Enfer, le Purgatoire, le Paradis, c'est l'homme retiré de la forêt sombre des intérêts et des passions terrestres, et ramené, par la considération de soi, du monde et de Dieu, dans les voies du salut[2]. » — « Il viaggio dantesio, inquit Comparetti, è figurato come una peregrinazione d'interesse, e di scopo psicologico. E una visione graduata nella quale, per arrivare ad intuire la parte più eccelsa, l'anima deve prima purificarsi delle impurità che la ottenebrano, passando dinanzi al « temporal fuoco e l'eterno », ritemprandosi nella meditazione di quanto la guasta e la minacia, del male morale e delle sue sanzioni eterne[3]. » Itaque Dantis et Alani opus, ad hanc sententiam reductum, nihil aliud exhibet ac prosequitur, nisi quamdam animarum medicinam aut curationem, qualem veneratissimi inter christianos doctores, qui ab incunabulis Ecclesiæ vixerunt ad S. Bonaventuram usque, tradiderant ac docuerant.

Sub allegoria igitur simili, idem propositum, idem argumentum nostri scriptores evolvere. Nunc vero utriusque poematis partes, et in primis personas præcipuas et cujusque personæ munera

[1] Vide etiam versus 2096-2103.

[2] F. Ozanam, *Dante et la Philosophie catholique au* XIIIe *siècle*, p. 233. — *Infern.*, I, 11. — *Purgator*, XXXIII. — Passim.

[3] Comparetti, *Virgilio nel medio evo*, t. I, p. 279-280.

persequi oportet; et, omnibus illis attente perspectis, intelligemus quam arcta cognatione jungantur Alani *Anticlaudianus* et *Divina* Alighieri *Comœdia.*

III. — Utrum, quas in Divina Comœdia Virgilius tenet, eas in Anticlaudiano partes Ratio tenuerit?

Primum quæ in *Anticlaudiano* et *Divina Comœdia* pertinent ad philosophiam exponamus necesse est. Quod quidem quo melius adspiciatur, exquiremus primum quam speciem philosophiæ ambo scriptores sibi effingant; deinde quo modo philosophiam allegoriis illustrent.

I. — Alanus et Dantes hanc sententiam apud sapientes omnium temporum, et præsertim apud poetas vulgatam, colebant: nimirum, res creatas humanasque doctrinas habere quoddam commune vinculum et quasi affinitate inter se conjungi. Quemadmodum enim, aiunt, novem mundi orbes, Ptolemæi judicio, in terram et in homines quamdam vim habent, ita novem scientiis involvuntur res quæ sub intelligentiam cadunt aluntque mentem humanam. Itaque septem orbibus respondent septem artes, quibus *Trivium Quadriviumque* continentur; octavus vero orbis (stellarum dico infixarum seu Firmamenti orbem), designat has partes philosophiæ, quæ spectant ad res creatas et increatas [1], quarum lumen in unum miscetur; crystallinum tandem cœlum, cui congruit cœlum, quod Dantes vocat *Mobile primum,* quum cetera trahat ad se, exprimit hanc philosophiæ partem, qua mores informantur, et ex qua pendet omnis motus rerum, quæ deprehenduntur intellectu. Quæ omnia multi viri doctrina præstantes jam affirmarant; illo autem tempore non pauci, inter quos eminent Alanus noster Dantesque, aliquid majus addiderunt. Etenim, ultra hos novem orbes, qui complexu suo continent cuncta caduca, dicebant patere *Empyrœum,* lumen purum, sanctorumque hominum vita defunctorum beatam sedem; itaque prædicabant omnibus humanis doctrinis præesse illam veritatem fulgentibus radiis splendidam, quæ omnes disciplinas despicit, nempe *Theologiam.* Quamobrem, secundum Dantis Ala-

[1] *Physica et Metaphysica.*

6

nique sententiam, talis philosophia, talis *mundus physicus*. Quid hoc? fortasse dices; scilicet putant humanis omnibus disciplinis ad divinam scientiam nos duci; aut, quo melius res proferatur in lucem, concreta et corporea, tanquam gradus, ducere ad ea quæ compositione carent[1].

II. — Quo nunc modo philosophiam illustrant allegoriis? In utroque carmine philosophia ita et agere et loqui videtur, ut magis ac magis appareat qua ratione et quo modo disjungatur a theologia. Primum, in *Divina Comœdia,* speciem induit splendidam. Dantes enim, ut aliquid pulcherrimum et perfecta poesi ornatum exhibeat, philosophiæ tribuit Virgilii vultus. Ut autem quæ sit Virgilii persona quasque partes gerat intelligatur, necesse est neminem prætereat Virgilium a Dantis æqualibus tanti pretii fuisse factum, tanto honore cumulatum, ut summus ille vir videretur omnes humanas doctrinas, omnem itaque philosophiam continere atque exhibere[2]. Haud aliter de mantuano poeta, quam illius temporis viri, sensit Dantes. A Virgilio, quem summo amore, summa veneratione coluit, allectus est, inquit, ad amorem pulchri, ad dulcedinem et leporem versuum[3]. Quapropter, in argumento sui poematis evolvendo, Virgilium non solum inter præstantissimos romanos poetas collocat, sed sui per regiones horrendas itineris ductorem ita habet, ut mantuanus vates Danti videatur esse ipsa humana *Ratio,* ipsa *Philosophia,* qua regente, hominum mentes ad altiora adducuntur, et, ut ejus sententia utar, ad vestibulum usque Theologiæ et Fidei perveniunt[4].

Hoc autem munus, quo fungitur in *Divina Comœdia* Virgilius, idem est absolute ac munus illud, quod in *Anticlaudiano* Ratio exequitur. Illud igitur quo magis perspicuum fiat, sit nobis hæc venia in lucem breviter proferendi quales sint in Alighieri poemate Virgilii partes : quæ quidem apparebunt, si audiemus, tum

[1] Cf. Fr. Ozanam, *Dante et la Philos. cathol. au* XIII *siècle*, p. 131, 132, 103, — passim.

[2] In hanc quæstionem confer. — Fr. Michel, *Quæ vices, quæque mutationes et Virgilium ipsum et ejus carmina per mediam ætatem acceperunt.* Parisiis, 1846.— Edelestand du Méril, *Mélanges Archéologiques et littéraires, Virgile l'Enchanteur; Paris,* 1855. in-8°, p. 425-478; et præsertim, p. 445-478. — Tandem, ante omnes, Comparetti, *Virgilio nel medio evo;* 2 vol., Livourne, 1878, t. I, p. 265, etc.

[3] *Infern.,* I.

[4] Comparetti, *Virgilio nel medio evo,* t. I, p. 275-271.

quæ ab Alighiero ipso dicuntur, tum quæ fingit Dantes a Statio prædicari, tum demum quæ Virgilius ipse videtur proferre.

1°. — Quas partes Virgilio Dantes tribuerit?

Virgilium, ut primum obviam fit, Dantes sic alloquitur :

Or se' tu quel Virgilio, e quella fonte
Che spande di parlar sì largo fiume?...
O degli altri poeti onore e lume;
Vagliami il lungo studio e il grande amore,
Che m'han fatto cercar lo tuo volume.
Tu se' lo mio maestro e il mio autore,
Tu se' solo colui, da cu'io tolsi
Lo bello stile, che m'ha fatto onore.
(*Inf.*, I. 27,28, 29.)

Deinde poetam romanum precatur ut per loca, de quibus modo locutus est, ad januam custoditam a S. Petro, qui vices Fidei gerit, perducatur. Virgilium quoque in alio loco *omnis disciplinæ et artis bonæ honorem et gloriam* nuncupat.

... Famoso saggio.
(*Inf.*, I, 35.)

O tu, che onori ogni scienza ed arte...
(*Inf.*, IV, 25.)

E quel savio gentil, che tutto seppe...
(*Inf.*, VII, 1).

Ed io rivolto al mar di tutto 'l senno.
(*Inf.*, VIII, 3.)

O sol, inquit rursus, cujus lumine animi mei tenebræ fugantur, cujusque responsis vel ea, quæ mihi afferunt dubitationem, grata sunt et dulcia!

O sol, che sani ogni vista turbata,
Tu mi contenti sì, quando tu solvi,
Che non men che saver dubbiar m'aggrata.
(*Inf.*, XI, 31.)

O Luce mia...
(*Purg.*, VI, 10.)

Mox *altæ mentis* doctorem proclamat,

L'alto dottore...
(*Purg.*, XVIII, 1.)

Multifariam tandem Virgilius *sapiens et doctor, vel inter præcipuos insignissimus, carissimus magister, paterque dilectissimus* ab Alighiero dicitur.

2°. — Quas partes Dantes fingat a Statio tribui Virgilio ?

Quum Dantes Virgiliusque iverunt obviam Statio, hic poeta eos monuit se christianum fuisse factum. Quem vero postquam Virgilius interrogavit quo lumine ad doctrinam a Deo demissam ductus fuerit : « Tu primum, inquit Statius, viam qua pergitur ad sacros Parnassi fontes me docuisti ; deinde luce meos illuminasti oculos :

Ed egli a lui : Tu prima m'inviasti
Verso Parnasso a ber nelle sue grotte,
E prima, appresso Dio, m'alluminasti.
Facesti come quei che va di notte,
Che porta il lume dietro, e sè non giova,
Ma dopo sè fa le persone dotte,
Quando dicesti : Secol si rinnuova ;
Torna giustizia, e primo tempo umano,
E progenie discende dal ciel nuova.
Per te poeta fui ; per te cristiano.

(*Purg.*, XXII, 24. etc.)

Quæ carmina, inquit Statius, ad eum a quo mundus servatus fuit, sunt referenda ; et ita velamen, quo a Deo demissa veritas involvebatur, fuit opera tua quodam modo remotum :

E la parolo tua sopra toccata
Si consonava a' nuovi predicanti...
Tu dunque, che levato hai 'l operchio
Che m'ascondeva quanto bene io dico...

(*Purg.*, XXII, 27, etc. [1].)

Quæ quidem verba (nec illud nos fugiat) dicuntur quum poetæ nostri in eo sunt, ut jam a se discedant ; itaque minime dubium est quin iis verbis Dantes allegoricum munus Virgilii nobis ipsemet exponere voluerit.

3°. — Quas partes sibimetipsi Virgilius tribuerit ?

Haud aliter Virgilius ipse : « *Quidquid mens nostra capere potest,* inquit Alighiero, *tibi pandere valeo ; quo vero meliora capias, Beatricem, lumen fidei, in regione superiore audias necesse est :*

... Quanto ragion qui vede
Dir ti poss'io ; da indi in là t'aspetta
Pure a Beatrice, ch'è sopra di fede.

(*Purgat.*, XVIII, 46.)

[1] Cf. Comparetti, *Virgilio nel medio evo*, t. I, p. 290, etc.

« Beatrice, inquit Comparetti, sa quindi tutto quanto sa Virgilio: ma Virgilio non sa quanto sa Beatrice [1]. »

Ceterum, animadvertendum est has partes, quæ ab incepto ad finem usque itineris sibi consentiunt, ultra tamen regiones, quas, suis viribus innixa, mens humana perlustrare non potest, non procedere. Nam, quum ad ultimum orbem, imo ad ultimum hujus orbis gradum pervenit Dantes, quumque in eo est ut jam Beatricem videat, hæc extrema verba a Virgilio duce suo, accipit :

... Il temporal fuoco e l'eterno
Veduto hai, figlio, e se' venuto in parte
Ov'io per me più oltre non discerno.
Tratto t'ho qui con ingegno e con arte ;
Lo tuo piacere omai prendi per duce :
Fuor se' dell'erte vie, fuor se' dell'arte.
Non aspettar mio dir più, nè mio cenno.
Libero, dritto, sano è tuo arbitrio,
E fallo fora non fare e suo senno;
Perch'io te sopra te corono et mitrio.

(*Purg.*, XXVII, 43, etc.)

His verbis Virgilius se abire monet, quippe qui regiones, ad quas tendit Alighierus, ingredi non valeat. Etenim, vix ante oculos sese ostendit Beatrix, quum Dantes ad Virgilium lumina retorquet, versum, quo manifestum faciat suum gaudium, a Didone mutuatus,

Agnosco veteris vestigia flammæ ;

sed ducem suum attonitus non jam animadvertit.

Quapropter, omni quæ huc usque diximus, attente legenti manifesto apparebit Virgilium in *Divina Comœdia* Philosophiæ partes vere agere. Hoc insuper prope omnes, qui ut Dantis poema enodarent studium suum dederunt, unanimi voce sunt confessi. Nunc vero nobis probandum manet quas partes apud Dantem agit Virgilius, iisdem omnino jam apud Alani *Phronesim* gessisse *Rationem*.

Quod enim valet Virgilius, hoc Ratio valet; quo tendit Virgilius, eo quoque Ratio; quo in loco stat Virgilius, in eo Ratio consistit; eadem denique causa, eadem nempe imbecillitate, Ratio hæret, qua Virgilius. Hoc autem ut claram in lucem afferatur,

[1] Cf. Comparetti, l. c., t. I, p. 281.

paulo fusius quam antea quæ sint Rationis partes in Alani carmine exponere nobis satis erit.

Simillimis quidem partibus fatemur nonnullas personas in quibusdam aliis operibus fungi, nempe in Martiani Capellæ libro Virtutem, Uraniam in carmine Bernardi Carnutensis. His revera personis animadverto inesse nescio quam incertam affinitatem cum Virgilio, ex hoc tantum natam, quod *Virtus* Cyllenii, Naturæ *Urania* sit comes; *Philosophiæ* vero neutra partes exequitur [1] Quemadmodum autem in *Divina Comœdia* Philosophia speciem Virgilii, qui Dantem ducat, sic in *Anticlaudiano* Rationis, quæ dirigat Phronesim, effigiem induerat. In his igitur carminibus inter Virgilium Rationemque jam non exstat tantummodo similitudo quædam incerta, sed utraque persona est eadem atque altera, quia utraque philosophiæ partes gerit.

Versus primum, quibus poeta describit quæ sit Ratio, quæ sit ejus natura, vis et potestas, quum leguntur, minime dubium esse potest quin philosophiæ munus exequatur. Omnia enim, tum æterna, tum caduca, quæ tamen mens humana, suis viribus freta, intelligere potest, in speculis tribus contemplatur [2]. Clarissime hoc insuper apparet quum currum, a septem artibus ingenii confectum, id est, ab omnibus humanis doctrinis, ascendit et quinque equos, sensus dico quinque, regit habenis :

> Prædictos Ratio propria ratione magistra,
> Sub juga cogit equos, temoni fœderat, urget
> Effrenes, ligat indomitos, frenatque vagantes...
> Sic primum componit equos auriga *sophiæ*
> Ne si quadrigam Phronesis conscendat, eadem
> Indomiti spatientur equi, normamque relinquant,
> Devia sectentur, laxent juga...,
> habenæ
> Depereant, *et tota labet substantia currus.*
> (Lib. IV, cap. IV.)

Qui autem? Nonne quoque Rationis nomen sententiam, quam amplectimur, comprobat?

Munus vero, quod exequitur Ratio apud Phronesim, sedulo animo precor attendas.

[1] Cf. superius quod diximus tum de *Virtute*, apud Martianum Capellam, tum de *Urania*, apud Bernardum Carnutensem.

[2] Lib. I, cap. X, totum lege.

Phronesis et Alighierus, quum in eo sunt ut iter arduum incipiant, similes sunt eadem mentis dubitatione, eadem hæsitatione. Antequam viam, magnopere difficilem, ingrediatur, multa volvit animo Phronesis, multumque hæret et dubitat. Mox autem, ut, Virgilio hortante, Dantes pergit viam, ita quoque, suadente Ratione, Phronesis iter aggreditur; neque viam inire audet, nisi ducis suæ consilio permota. Ratio igitur continuo currum ascendit, junctos habena regit equos stimuloque incitat, et Phronesim per mundi orbes, itinere immenso confecto, perducit[1]. Quum vero ad ultimum orbem hujus mundi caduci perventum fuit, *in supercilio mundi,* ultra se processuros equi negant; Ratio ipsa mente ambigua est et ideo Phronesis in dubium trahitur anxia : longius ire doctrina humana non valet. Quid faciat viatrix? quo vertat pedes?

Postquam cœlestes aditus, cœlique profundum,
Astrorumque vagos reditus emensa reliquit,
Inque supercilio mundi stetit, anxia mente
Fluctuat, in varios motus deducitur, hæret
Mens, animusque fluit, dubitat cum mente voluntas
Ipsa, nec in certo defigitur anchora mentis.
Difficiles igitur aditus, facilemque ruinam
Quum videat Phronesis...,
... victique labore jugales
Nec juga ferre velint, nec solvere jura magistræ,
Ignarique viæ callem mirentur ineptum
Gressibus, et pedibus gradiendi jura negantem;
Nec Ratio *sursum deflectere possit habenas,*
Quæ retinent instanter equi, dominæque repugnant
Effrenes, ultraque negant servire jubenti...
Ecce puella...

(L. V, cap. II.)

Hæc omnia qui perspicit intelligit, ut opinor, quam arcta et perfecta similitudo exstet inter Rationem et Virgilium. Simili enim itinere confecto, in *eodem* loco consistunt : unde jam suspicari licet totum illud iter non posse differre, nisi variis inventis, quibus exornetur.

Res autem in clariore lumine etiam ponitur, præsertim quum notatur *eamdem,* de qua locuti sumus, dubitationem evanescere *causa eadem,* nempe, subito Theologiæ et Beatricis interventu, Ab initio quidem Dantis carminis, audimus Beatricem prænun-

[1] Lib. II, cap II et III.

tiari; in primis contra *Anticlaudiani* libris nemo dicebat Theologiam esse venturam; id quidem fateor; sed res ita disponuntur, ut quasi inviti Theologiam expectemus in futurum, minimeque ejus adventum miremur. Illud autem, quod majus est, animadvertimus attente, utramque *eodem tempore* venire, in *eodem loco* apparere, *per easdem regiones munere eodem* functuram; nec inde minus patet Rationem et Virgilium, quibus succedunt Theologia Beatrixque, *easdem partes,* aut apud Dantem, aut apud Phronesim, egisse.

Insuper, vix ad oculos offeruntur Beatrix et Theologia, quum Ratio et Virgilius, utpote qui ulterius progredi non valeant, nec sint jam cuiquam rei utiles, ab itinere desistunt; quin imo, Virgilius evanescit oculis ea causa tantum quod Dantes non redibit; Ratio verum commoratur eo loco, exspectatura donec Phronesis e cœlis sit redux. Theologia tandem benigne Phronesim viæ comitem sibi assumit; non tamen eas regiones Philosophiæ clausas penetrabit mens humana, nisi ea conditione quod et ducem Rationem, et currum, et equos deseruerit; excipitur tamen secundus equus, auditus nempe : quæ res, in quæstione, de qua agitur, est maximi momenti et ponderis, ut partes Rationis omnino proferantur. Theologia enim res, quæ mentem humanam superant, docet auditu tantum (*Fides ex auditu*); Ratio vero, seu Philosophia, disciplinas suas tradit non auditu solum, sed sensuum quinque auxilio.

Quid plura? His omnibus in aperto positis, in promptu est tum *Phronesi* et *Danti,* tum *Virgilio* et *Rationi* ab Alano et Dante easdem partes fuisse attributas.

IV. — Utrum, quas in Divina Comœdia partes Beatrix tenet, eas in Anticlaudiano Theologia tenuerit ?

Ex eo quod Theologia et Beatrix eodem loco, eademque hora, sibi comites itineris Phronesim Dantemque assumpserunt, æquo jure fuit conclusum partes Virgilii et Rationis simillimas esse; nunc autem non propter aliam causam simillimum Theologiæ et Beatricis munus futurum esse suspicari licet.

Primum, quo cœlum et terra disjunguntur intervallo, eo quoque Beatrix et Virgilius, Ratio et Theologia dividuntur. Precor enim

attento animo consideres quo vultu habituque ante Phronesis oculos sese offerat Theologia. Rerum enim, quæ sunt perituræ, finibus, ad quos pervenit Phronesis, et ante cœlum immensum atque infinitum, quo tendit, iis finibus, inquam, en subito Phronesis aspicit Theologiam, cunctas res labiles subter, æternasque supra oculis legentem. Quæ quidem Theologia Dantis Beatricis tum fulgore, tum venustate vultus æquare mihi videtur.

Nihil habet terrestre lumen, quo involvitur tanquam veste; qua luce relucente, tenebræ fiunt cetera. Puella, seu potius dea dicenda est :

Nil terrestre gerens facie, nil ore caducum...
Forma puellaris; hanc argumenta decoris
Esse deam monstrant...
Inflammat diadema caput...
Librum dextra gerit, sceptrumque regale sinistra
Gestat...
Claudit eam vestis auro perfusa, refulgens
Argento.

Admirabilem hanc Theologiam postquam descripsit, quid agat quid doceat exponit poeta :

Hæc arcana Dei, divinæ mentis abyssum,
Subtilis describit acus, formaque figurat
Informem, locat immensum, monstratque latentem,
Incircumscriptum describit, visibus offert
Invisum, quod lingua nequit, pictura fatetur.

(Lib., V, cap. III.)

Talis quoque in iis regionibus, quibus circumscribitur *Purgatorium,* ad oculos Dantis Beatrix sese offert:

Io vidi già nel cominciar del giorno
La parte oriental tutta rosata,
E l'altro ciel di bel sereno adorno,
E la faccia del sol nascere ombrata,
Sì che, per temperanza di vapori,
L'occhio lo sostenea lunga fiata ;
Così dentro una nuvola di fiori,
Che dalle mani angeliche saliva,
E ricadeva giù dentro e di fuori,
Sovra candido vel cinta d'oliva
Donna m'apparve, sotto verde manto,
Vestita di color di fiamma viva.

(*Purg.*, XXX, 8, etc.)

Theologiam ut primum adspicit, obviam it Phronesis; statimque, indicata itineris, quod suscepit, causa, eam precatur ut benigne velit esse viæ dux et comes; a *Ratione* enim, viæ reliquæ inscia, omnino deseritur,

Hac Ratione diu nitens, multumque reluctans,
Huc agor et superos requiro sola recessus...

(Lib., V, cap. III.)

Theologia quidem, facile exorata, Phronesis benigne preces exaudit, hac tamen conditione, (quod jam diximus), ut currus, et equi, secundo tantum excepto, necnon ipsa Ratio ibidem deserantur. Qui enim, si vellent in cœlum tendere, haud dubium est quin dejicerentur. Quemadmodum igitur Virgilii imbecillitas in *Divina Comœdia* agnoscitur, ita quoque in *Anticlaudiano* manifesta fit Rationis infirmitas : quo fit ut magis ac magis Theologiæ et Beatricis potestas summa reluceat.

Phronesis vero equum conscendit, cujus partes adeo valent in præceptis, quæ a Deo revelata sunt, percipiendis. Nec mora : Phronesis in cœlum post ducem suam rapido volatu fertur.

Hic pedem sistit poeta, quasi longa via, quam peregit, fatigatus; longioremque etiam ingressurus, supplex auxilium divinum petit et hanc precem ad Deum fundit.

Hactenus insonuit tenui mea musa susurro ;
Hactenus in fragili lusit mea pagina versu,
Phœbea resonante chely : sed parva resignans
Majorem nunc tendo lyram, *totumque poetam*
Deponens, *usurpo mihi nova verba prophetæ :*
Cœlesti musæ terrenus cedet Apollo,
Musa Jovi, verbisque poli parentia cedent
Verba soli, tellusque locum concedet Olympo...
Summe Parens, æterne Deus, vivensque Potestas,
Unica forma boni, recti via, limes honesti...
Tu mihi præradia divina luce, meamque
Plenius irrorans divino nectare mentem
Comple, terge notas animi, tenebrasque recidens
Discute, meque tuæ lucis splendore serena ;
Tu repara calamum, purga rubigine linguam ;
Da, quæso, tua verba loqui, mutaque loquelam ;
Phœbe, da fontem sitienti, dirige callem
Erranti, duc nauta ratem, portumque timenti
Dona, cœlesti perflans mea carbasa vento.

(Lib., V, cap. v.)

Non aliter Alighierus in *Divina Comœdia*. Nam, quum in eo est

ut suum per *Paradisi* regiones iter depingat, commoratur quasi stupefactus et anxius, deumque poesis supplex invocat exoratque ut pro his extremis operibus adsit benignus et clemens :

O buono Apollo, all' ultimo lavoro
Flammi del tuo valor sì fatto vaso,
Come dimandi e dar l'amato alloro.
Insino a qui l'un giogo di Parnaso
Assai mi fu, ma or con amendue
M'è uopo entrar nell'aringo rimaso.
Entra nel petto mio, e spira tue
Sì, come quando Marsia traesti
Della vagina delle membra sue
O divina virtù, se mi ti presti
Tanto che l'ombra del beato regno
Segnata nel mio capo io manifesti,
Venir vedràmi al tuo diletto legno,
E coronarmi allor di quelle foglie,
Che la materia e tu mi farai degno.

(*Parad.*, I, 5, etc.)

Hæc Dantis verba cum Alani precibus prorsus congruere omnino perspicuum est. Quæ quum ita res se habeat, num dubitandum est, quæso, quin utraque hujusmodi precatio mire sibi conveniat, *quippe quæ non solum in utroque poemate ponatur in eodem loco,* sed *etiam ex uno et eodem mentis impulsu oriatur ?*

Theologia duce, cœlum crystallinum, cujus naturam et virtutes perspicit, Phronesis perlustrat, cognitionemque quamdam, docente duce, rerum *divinarum,* quarum exacta et absoluta scientia vires excedit humanas, eundo acquirit :

Nec mirum si cedit ad hæc Prudentia, quæ sic
Excedunt matris naturæ jura, quod ejus
Exsuperant cursus, ad quæ mens deficit, hæret
Intellectus, hebet ratio, sapientia nutat,
Tullius ipse silet, rancescit lingua Maronis,
Languet Aristoteles, Ptolemæi sensus aberrat.

(Lib., V, cap. VI.)

His non absimilia de rebus *divinis,* ipse Virgilius nos docet, quum Beatricem ita alloquitur : « Tu, inquit, cujus ope et auxilio res *divinas* penetrat mens humana,

O donna di virtù, sola per cui
L'umana spezie eccede ogni contento
Da quel ciel che ha minori i cerchi sui...

(*Inf.*, II, 26.)

et in alio loco Dantes :

Quant' esser convenia da sè lucente
Quel ch'era dentro al sol dov'io entrami
Non per color, sua per lume parvente
Perch' io lo' ngegno et l'arte e l'uso chiami,
Si sol direi che mai s'immaginasse,
Ma creder puossi, edi veder si brami.

Pergit iter Phronesis et *Empyræum* ingreditur : acuratissime describuntur loci hujus amœnitas, gaudia et deliciæ. In hoc loco incolunt viri sanctitate conspicui atque a compagibus corporis soluti ; in hoc regnat Virgo Maria, quam supra omnia splendidissimis verbis extollit poeta. Phronesis vero, quamvis eam hortetur Theologia, tantum splendorem oculis ferre non valet. Theologia itaque in auxilium vocat *Fidem* sororem, quemadmodum in *Divina Comœdia* Beatrix implorat Mathildam. A *Fide* refecta et roborata, e divino languore, in quem incidit, Phronesis divino potu revocatur et reviviscit. — Haud semel autem, in *Divina Comœdia,* Dantem, quem vires deficiunt, invenimus fuisse aqua salutari renovatum.

Hunc vero locum magis attendas : Phronesi, quam ad vitam revocavit, Fides offert speculum quoddam, cujus ope cunctas res cœlestes observare valeat.

Præsentat Phronesi speculum, quo cuncta resultant
Quæ locus Empyræus in se capit...

Non absimilia legimus in *Divina Comœdia :* nam quum, *Empyræi* splendore undique perfuso perstrictus oculos, hoc lumen tolerare nequit Dantes, Beatrice monente, in torrentem sese demittit propinaturus aquam, quæ perfectiores reddit homines, ut, inquit, oculi mei fiant specula ardentiora.

Non che da sè sien queste cose acerbe ;
Ma è il difetto d'alla parte tua,
Che non hai viste amor tanto superbe.
Non è fanti che sì subito rua
Col volto verso il latte, se si svegli
Molto tardato dall' usanza sua ;
Come fec 'io, per far migliori spegli
Aucor degli occhi, chinandomi all' onda
Che si deriva perchè vi s'immegli.

(*Parad.*, XXX, 31, etc.)

Quo quidem peracto, hominum, qui virtute conspicui fuerunt per vitam, triumphos mirari potest :

O isplendor di Dio, per cu' io vidi
L'alto trionfo del regno verace,
Dammi virtù a dir com' io lo vidi !
(*Parad.*, xxx, 33.)

Nonne hæc omnia videntur esse quædam haud obscura recordatio tum *potionis* illius, tum *speculi,* tum felicitatis, de quibus loquitur Alanus ?

Cernit in hoc speculo visu speculante sophia
Quidquid divinus in se complectitur orbis..,
Hic videt angelicæ plebis superique senatus
Militiam, palmamque simul dulcesque triumphos
Sanctorum, meritum dispar, fructusque laborum.
(Lib. VI, cap. II.)

Phronesis tandem, his breviter depictis, cœlestia loca ingreditur, armataque speculo, *prædestinationis* causas rimatur [1], variasque Dei virtutes perpendit, et considerat cetera cœli *Empyræi* miracula. Dantes quoque, quum D. Bernardum secutus, quem jussu Beatricis ducem viæ reliquæ assumpsit, pervenit ad Deum, immensa et alta scrutatur miraturque arcana Divinitatis et in ea omnium causas aperit atque depingit. Quæ omnia, obsecro, diligenter consideres mecumque concludas Beatricem et Theologiam iisdem partibus fuisse functas, ut quæ Dantem et Phronesim a primo limine cœli ad Deum usque perduxerint.

Insuper easdem Beatrici et Theologiæ partes tribui asserimus propter hanc causam, quod Beatrix illa nihil aliud repræsentet nisi Theologiæ veram effigiem, aut, ut aiunt, imaginem *symbolicam.* Illud ab omnibus fere auctoribus pro inconcusso ponitur ; nec immerito quidem. Recorderis enim, precor, qualis ante oculos Alighieri incedat Beatrix : post octoginta senes *Veteris Testamenti,* inter quatuor *Evangelistas* ab his quatuor animalibus figuratos, gryps quidam, quo Christus significatur, currum *Ecclesiæ* trahit ; post currum procedunt ceteri *Novi Testamenti,* scriptores ; circumstant septem Virtutes. Quænam autem illa

[1] *Parad.* XIX.

Virgo splendida, quæ in curru insidet? Beatrix quidem : nomen enim poeta profert; quæ vero ita procedit, non jam mulier dicenda est, sed *Theologia*. Ita sensit Virgilius :

O donna di virtù, sola per cui
L'umana spezie eccede ogni contento
Da quel ciel che ha minori i cerchi sui
..... Beatrice, loda di Dio vera,
Che non soccorri quei che t'amò tanto...
(*Inf.*, II, 26, 35.)

Quella
Che lume fia tra il vero e l'intelletto.
(*Purg.*, VI, 16.)

.... Da indi là l'aspetta
Pure e Beatrice, ch'è opra di fede.

Ita sensit Dantes, Purgat. XXXII; XXXI, 41; XXXII, 32; XXXIII, 49; Parad. I, 19, 24; IV, 22, 39 :

Cotal fu l'ondeggiar del santo rio
Ch'usci del fonte ond'ogni ver deriva,
Tal pose in pace uno ed altro disio;

XVIII, 6; XXVIII, 1; XXXI, 28; ita senserunt omnes, qui de Beatrice scripserunt antiquitus; ita præsertim sublimis ille *Raphael*, qui, Alighieri ingenio quasi instinctus, Vaticanas ædes quum picturis omni admiratione dignis illustraret et Theologiam vellet ante oculos ponere, Beatricis nostræ, ut profitentur omnes, immortalem effigiem colore immortali adumbravit[1].

His omnibus igitur attente examinatis, possumus omni jure affirmare non solum et easdem partes Beatrici et Theologiæ tribui, sed etiam Beatricem illam Theologiamque præ se ferre eamdem effigiem, eamdem personam.

[1] « On voit toutes les sciences et tous les arts mis à son service (de l'Eglise catholigue) dans l'admirable contraste de l'*École d'Athènes* et de la *Dispute du Saint-Sacrement*, de Justinien et de Grégoire IX. Toutes les notions abstraites se réalisent : la philosophie est figurée par ses plus nobles disciples, la jurisprudence par ses législateurs, la théologie par ses confesseurs et par ses Pères; — je me trompe, la théologie s'y voit peinte aussi sous les traits d'une femme. Mais cette femme, qu'on peut aisément reconnaître au costume dont elle est revêtue, c'est celle même que nous allons retrouver dans la vision de Dante; c'est Béatrix. » — Fréd. Ozanam, *Dante et la Philosophie catholique au* XIII[e] *siècle*, p. 381. — Ita sensit quoque Villemain, *Littér. au M. A.*, t. I, p. 339-340, etc.

V. — Quibus argumentis Dantem, in Ascensu ad Deum, Alanum, non secus ac Tullium Ciceronem, imitatum fuisse probetur ?

Ex omnibus rebus, quas Dantes imitatus est in *Divina Comœdia*, nulla magis omnium oculos in se convertit quam insignis illa *Tullianæ Reipublicæ* pars, in qua *Somnium Scipionis* describitur. Hunc præclarissimum Ciceronis locum, nemine negante, Dantes imitatur; sic vero prosequitur imitatione, ut, (quod quidem nemo jam indicavit,) non pauca inducat, quæ non inveniebat nisi apud Alanum. Alanus ipse jam Scipionis Somnium aptissime adumbraverat; addiderat tamem quædam, de quibus loquimur, quæ in *Divina Comœdia* rursus legimus : quod sane perlucidum erit, si hæc tria opera inter se diligenti opera collata fuerint.

I. — Quænam Alanus Dantesque e Somnio Scipionis hauserint ?

Sciunt omnes quo modo Tullius fingat Scipionem « in excelsum, et plenum stellarum, illustrem et clarum quemdam locum », *nescio qua via,* translatum fuisse. Tunc Scipio, dum Africanum audit loquentem, Paullum patrem ad se venientem adspicit, cujus virtutes et exempla nec non verba ostendunt quæ via ducat in cœlum et in cœtum omnium, qui, jam corpore laxati, incolunt hunc locum. Ex hoc circum elucentem orbem, quem Graii lacteum nuncupant, et ejus mirabilia contemplatur; brevique despicit terram, « quæ mihi ita parva visa est, inquit, ut me imperii nostri, quo quasi punctum attingimus, pœniteret. » Tunc orbes, seu globos, quibus connexa sunt omnia, describit. Quæ omnia notiora sunt, quam ut e verbo ad verbum transferamus.

His verbis Tullius Ptolemæi mundum exponit, quem Alanus in *Anticlaudiano,* paucis tantum mutatis, usurpat. Quum enim Phronesis de terra assumpta est, Lunam, Solem, Venerem, Mercurium, Martem, Jovem, Saturnum, stellas cœlo infixas et tandem cœlum crystallinum, quod Ciceronis firmamento et *Primo mobili* Dantis respondet, ordine explorat. Florentinus quoque

vates, ut Alanus et Tullius, novem orbes, seu globos, quibus orbis mundi continetur, numerat, Lunam, Mercurium, Venerem, Solem, Martem, Jovem, Saturnum, stellas cœlo infixas, Primumque Mobile. Descriptione sequenti explanatur, tum quibus distinguantur, tum quibus sibi conveniant hi tres nostri scriptores :

CICERONIS DESCRIPTIO	ALANI DESCRIPTIO	DANTIS DESCRIPTIO
Terra	Luna	Luna
Luna	Sol	Mercurius
Mercurius	Venus	Venus
Venus	Mercurius	Sol
Sol	Mars	Mars
Mars	Jupiter	Jupiter
Jupiter	Saturnus	Saturnus
Saturnus	Stellæ non errantes seu Firmamentum	Stellæ non errantes seu Firmamentum
Firmamentum	Cœlum crystallinum	Cœlum crystallinum seu Primum mobile

Ex ea triplici descriptione jam concludere possumus Alanum Dantemque *Scipionis Somnium* fuisse imitatos; sed alia sunt imitationis illius vestigia. De Marte enim tres nostri auctores iisdem fere verbis loquuntur. Juxta enim Tullium, tam rutilo atque horribili splendore flagrat illud sidus, ut sanguinem ac bellatoris cujusdam dei imaginem in mentem inducat. Ejusdem Martis furorem notant tum Alanus, tum Dantes [2]. — Jovis fulgorem M. Tullius « hominum generi prosperum et salutarem » dicit; nec aliter Alanus videtur sentire :

Hic sidus Joviale micat, mundoque salutem
Nuntiat...

(Lib. IV, cap. VI.)

Præclarissimus quidem est M. Tullii locus, in quo describitur sonus ille, seu potius concentus, qui impulsu et motu ipsorum orbium conficitur. Hanc doctrinam, qua traditur mirandum quemdam concentum orbibus effici, dum volvuntur, M. Tullius a Pythagoricis disciplinis acceperat atque splendidis verbis exposuerat. Insignem hunc M. Tullii locum Alanus maxima cum diligentia adumbravit [3] : tribuit ipse cuique ex novem globis

[1] *Anticlaud.*, lib. IV, cap. VI. — *Paradis.*, XIX, 28. 31.
[2] *Anticlaud.*, lib. III, cap. V.

sonum proprium ac peculiarem. Nam Phronesis nostræ aures quam dulce et suaviter Luna pulset sono suo audias precor :

... lunæ sphæra remisso
Suspirat cantu, rauce sonat, imo sonando
Pæne silet, languetque sonans...
(Lib. IV, cap. VI.)

Solis est dulcior sonus :

Jam Lunæ sonitum fastidit Virginis auris,
Quam dulcis meliorque sonus reducit inescans
Aurem; nec cantus memorem sinit esse prioris;
Hunc cantum Sirena paret, quæ solis adhæret
Motibus...
(Lib. IV, cap. VI.)

Quid vero? Quemadmodum apud Ciceronem (quod quidem mirabile dictu!) eadem vis est Mercurii Venerisque, eo fine ut omnes orbes cœli efficiant septem distinctos intervallis sonos, ita apud Alanum :

Voce pari, similique modo, cantuque propinquo
Mercurii Sirena canit, Venerisque Camenam
Reddit, et ex æquo sonitu citharizat amico.
(Lib. IV, cap. VI.)

Martis vero sidus alte fremit, stridentemque reddit tubæ sonitum :

Cujus sphæra ruens torrentis more, tonando
Clamat, et altiloquos resonat clamore boatus.
(Lib. IV, cap. VI.)

Dulcior suaviorque Jovis sonus generi hominum præsagit et nuntiat deorum benevolentiam et benignitatem :

Qui motu generans sonitum non verberat auram
Cantibus, et dulcem philomelam reddit amœnam
Musa Jovis...
(Lib. IV, cap. VII.)

Saturnus quoque, qui a terris tantum distat atque inter hiemis algores pruinasque brumæ horret, cujusdam senis haud dissimilis incedit graviore quidem, sed dulci sonitu :

Nec tamen a cantu sonus ejus degener errat.
Sed comitum voces vox prævenit hujus adulto
Concentu...
(Lib. IV, cap. VIII.)

Remotiorem tandem et quasi silentio attenuatam vocem emittit firmamentum seu stellarum cœlo infixarum orbis :

> Obtuso cantu, sed dulcibus allicit aurem [1].
> (Lib. V, cap. I,)

Concentus ille tam mirus, qui, Tullii et Alani sententia, conficitur novem orbibus [2] ab ipso Dante laudatur, ita tamen ut gignatur causa prorsus diversa. In *Divina Comœdia*, musica, qua vates allicitur gaudetque, non jam motu impulsuque astrorum efficitur : non enim ex rebus caducis et anima vitaque destitutis cooritur, sed ex ore *Angelorum* beatorumque hominum, qui tum Dei tum Virginis laudes celebrant. Testis sit musica, quæ in Martis cœlo audita fuit (*Parad.,* XIV), cujusque dulcedine in languorem incidit Alighierus ; testis sit concentus omnis, cujus illecebris et voluptate noster poeta a Luna ad *Empyrœum* usque captus trahitur, (*Parad.,* III, XIII, XIX, XXXIII, etc.)

His igitur manifestum fit non pauca *e Scipionis Somnio* fuisse tum ab Alano, tum a Dante hausta.

II. — Quænam Dantes a *Somnio Scipionis* tantum acceperit ?

Sed quædam alia reperias, quæ, ab Alano quidem neglecta, a Dante accepta fuerunt. Primum nempe, quemadmodum Æmilianus ab Africano quædam accipit, quibus quæ mala immineant, quæ insidiæ impendeant, præsentire potest, ita Dantes a Cacciguiada, proavo suo, monetur tum de munere, quod non sine periculo fungetur in posterum, tum de exsilio, quo ejicietur a patriæ finibus. Deinde orbem terrarum, quemadmodum Scipio, Dantes ab alto cœlo ita despicit, itaexiguum videt et contemnit, ut exiguitatis istius eum maxime pudeat. Duo quidem hæc a M. Tullio, non ab Alano, mutuatus est Alighierus : duo vero alia addidit, quæ in Republica Tulliana non inveniebat, sed reperiebat in *Anticlaudiano.*

1 « *Dulcibus sonis,* » quantum credere possum. — Hic versus in quibusdam codicibus manu scriptis desideratur.

2 In variis poematibus, quæ antea exposuimus, nempe Balderici Dolensis, Joh. Hanvillensis, Bernardi Carnutensis, non invenitur hujusmodi concentus.

III. — Quænam tandem ab Alano tantum mutuatus sit?

1º Marci Tullii Scipio per globos singulos iter fecisse non videtur [1]. Ut primum Africano obvius ivit, in quemdam summum cœli locum, *nescio qua via,* translatus fuit mente nec ultra procedit. Ex hoc loco novem globos, quos ostendit describitque Africanus, contemplatur. Africani et Scipionis de astris colloquium nihil aliud videtur esse, nisi de astrologia quædam disceptatio præclara, qualem Alexandriæ quondam suis alumnis Ptolemæus tradebat; nec alio modo nos ipsi astra perlustramus, quum, media nocte, cœlum purum sideribusque effulgens consideramus oculis. Sed multum discrepat illa contemplatio a vero itinere per ætherea spatia. Quod si quidem hujusmodi iter ad rem a M. Tullio tractatam minime spectaret, Alani contra proposito egregie conveniebat hærebatque aptissime. Itaque noster poeta a *Scipionis Somnio* sese avertit et Phronesim suam per cœli orbes ad Deum usque, immenso itinere confecto, perducit. Dantes autem, idem propositum prosecutus, Tullii vestigiis relictis, iter quoque aggreditur, et via, qua Alanus iverat, ipse ita procedit ut non jam Tullii, sed Alani, vestigia manifeste sequatur.

2º Sed in hoc multo magis Alanum imitatione exprimit Dantes, quum describit hanc decimam sphæram, de qua M. Tullius ne minimam quidem conjecturam habere potuerat [2].

a. — Quemadmodum enim ultra *physicam, metaphysicam* et *moralem* Dantes Theologiam, ita trans nonum orbem, quo omnia universa tanquam turbine concluduntur, *Empyrœum* contemplatus est. Illud dicit esse sedem ultra ceteras sedes ad interitum vergentes locatam, immotam, increatam, immortalem, lumine purpureo quasi vestitam, omni gaudio, omni lætitia exundantem :

... Al ciel ch'è pura luce :
Luce intellettual piena d'amore,
Amor di vero ben pien di letizia,
Letizia che trascende ogni dolzore.
(*Parad.*, XXX. 13.)

[1] Nec ii omnes, quos antea diximus, poetæ, quique cœlum descripserunt, ut Baldericus et Joh. Hanvillensis.

[2] Nullus, ni vehementer fallor, invenitur poeta, qui, ante Alanum nostrum laudibus hanc sphæram celebraverit visitaveritque.

Illud *Empyræum* eodem, quo vidit, gaudio commotus descripsit[1].

b. — In illa fortunata sede habitant tum Deus ipse, tum *Angelorum* chori novem, tum pii viri, qui vel præsentem vitam omni sanctitate perspicuam duxerunt, vel, quas admiserant, culpas alterius vitæ cruciatibus solverunt.

c. — Quod si quando animæ illæ variis in orbibus diversisque altitudinibus sitæ proponantur oculis, ea imagine imbecillitati mentis nostræ consentanea ostendere conatur poeta inæqualem mercedem meritis inæqualibus respondere. Beati viri, quum optime intelligant se mercede meritis æqua remunerari debere, felicitate explentur quam nihil conturbat; inde unusquisque, sua sede contentus, lætitiam suam exprimit, summam quidem, sed non æque perfectam, cantumque edit, eximium profecto, sed non æque perfectum ; ita fit ut e tot diversis cantibus mirabilis admodum concentus ad laudem Dei, a quo remunerationem accipiunt, conficiatur.

Fratre, la nostra volontà quïeta
 Virtù di carità, che fa volerne
 Sol quel ch'avemo, e d'altro non ci asseta.
Se disiassimo esser più superne,
 Foran discordi gli nostri disiri
 Dal voler di colui che qui ne cerve...
Anzi è formale ad esso beato esse
 Tenersi dentro alla divina voglia,
 Perch'una fansi le nostre voglie stesse...
El a sua volontade è nostra pace ;
 Ella è quel mare al qual tutto se muove
 Ciò ch' ella cria e che natura face.
Chiaro mi fu allor com' ogni dove
 In cielo è paradiso, e sì la grazia
 Del sommo ben d'un modo non vi piove.
(*Parad.*. III, 24, etc.)

His autem non Alighieri modo, sed etiam Alani sententiam animadverto exponi :

a. — Alanus enim *Empyræum* vividis illis, quos modo indicavi, coloribus depingit :

Ascendit loca lætitiæ, loca plena favoris,
Cœlesti loca grata Deo, loca grata Tonanti,
Hic risus sine tristitia, sine nube serenum,
Deliciæ sine defectu, sine fine voluptas,

[1] Hanc Dantis descriptionem videntur imitari Raphael ille pictor, quum *Controversiam* suam pinxit, et Corregius in Tholo Parmensi. Eug. Muntz. *Raphaël, sa vie, son œuvre et son temps*, Paris, 1881, in-8°.

Pax expers odii, requies ignara laboris,
Lux semper rutilans, sol veri luminis, ortus
Nescius occasus, gratum sine vespere mane.
Hic splendor noctem, saties fastidia nescit,
Gaudia plena vigent, nullo respersa dolore..,
... Requies tranquilla manet, quam fine carentem
Fortunæ casus in nubila vertere nescit.

(Lib. V, cap. VII.)

b. — *Empyræum* incolunt tum ipse Deus, tum « superi cives » quos Deus ministros suorum fecit : *Angelicæ* turmæ, quæ regunt mundum ; *Seraphim*, lucis æternæ calore flammata ; *Cherubim* et ceteri e novem cœlicis ordinibus ; hic demum habitat homo quisque, quem vitia non depresserunt humi, sed contra arrectum in cœlum effecerunt virtutes :

Hic habitat, quem vita pium, virtusque beatum
Fecit, et in terris meruit sibi lumen Olympi ;
Corpore terrenus, cœlestis mente, caducus
Carne, Deus vita, vivens divinitus, extra
Terrenum sapiens, intus divina repensans.

(Lib. V, cap. VIII.)

c. — Quæ sit autem in *Empyræo* sanctorum piorumque hominum beatitudo ; quæ sint eorum varia merita, ideoque varius gloriæ gradus (quanquam omnes perfecta absolutaque felicitate fruuntur), hæc omnia Alanus ita depingit ut a sententia, quam postea exposuit Dantes, minime differre videatur :

Cum sint diversi merito, meritisque resultet
Splendor inæqualis, lux dispar, *gaudia cunctos*
Æqua manent, risusque pares ubi dissona merces.
Nec mirum si lætitiæ par gratia cunctos
Exspectat, quibus una datur pro munere vita,
In quibus ipse Deus est omnibus omnia, donum
Et donans, dans uni plurima, pluribus unum.

(Lib. V, cap. VII.)

Ex his igitur omnibus, quæ protulimus in medium, minime dubitare possumus, quin, quamvis Alanus Dantesque tum expositione rerum, tum ornamentis multis, tum multis aliis, longe sint dissimiles, tamen manifestam inter se affinitatem miramque cognationem habeant.

3° Propinquiores tamen et germaniores mihi esse videntur, quum Beatam Mariam demonstrant super omnes alios beatos, subter vero Deum sedentem. Audias enim, quæso, carmen illud

præclarissimum, quo, in *Divina Comœdia*, divus Bernardus, ultimus Alighieri dux, Virginem *Deiparam* extollit; et revoces in memoriam quibus laudibus Alanus, in *Anticlaudiano,* Virginem illam prædicet : nonne duo illa carmina videntur ex amore eodem exorta? imo iisdem rebus plerumque constare? Alighierus quidem Bernardum nobis profert ita loquentem :

Vergine madre, figlia del tuo Figlio,
Umile ed altra più che creatura.
Termine fisso d'eterno consiglio,
Tu se' colei che l'umana natura
Nobilitasti sì che 'l suo Fattore
Non si sdegnò di farsi sua fattura [1].
Nel ventre tuo si raccese l'amore
Per lo cui caldo nell' eterna pace
Così e germinato questo fiore, etc.

(*Parad.*, XXXIII, 1,etc.)

Non secus Alanus dixerat :

Hic superos cives proprio præcellit honore
Virgo, quæ proprium pariendi lege pudorem
Non perdens matris meruit cum virgine nomen.
Hæc est, quæ miro divini muneris usu
Nata patrem, natumque parens concepit, honorem
Virgineum retinens, nec perdens jura parentis,
In cujus ventris thalamo sibi summa paravit
Hospitium deitas, tunicam sibi texuit ipse
Filius artificis summi, nostræque salutis
Induit ipse togam nostro vestitus amictu, etc., [1].

(Lib. V, cap. IV.)

Quid plura? longa series sequitur laudum, quas certo legere mellifluum est, hic autem supervacaneum transcribere. Sat satiusque est, ut probetur non forte evenisse, si nostri poetæ, in carminibus suis, in *eodem loco* Mariam Virginem locaverint atque iisdem fere *verbis et laudibus* illam laudaverint atque ornaverint.

4° Quomodo tandem Deum ipsum Dantes describit? — Deus, inquit Dantes, « unicus est substantia, in qua potestas, sapientia, amorque triplicem personam miro modo producunt :

Facemi la divina Potestate
La Somma Sapïenza e il primo Amore...

(*Inf.*, III, 2.)

[1] « Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum. »

Quell' uno e due e tre che sempre vive,
E regna sempre in tre e due e uno...
(*Parad.*, XIV, 10.)

Credo una essenzia sì una e sì trina,
Che soffera congiunto *sunt et este*...
(*Parad.*, XXIV, 47.)

His simillima dicit Alanus :

Unus in usia, personis trinus, in uno
Unicus esse manet, quæ trina relatio trinum
Reddit, et in trino manet unus, trinus in uno, etc.
(Lib. VI, cap. III.)

Hæc, inquam, de Dei natura; — sed quid de numinis dotibus? Juxta Alighierum, Deus, ipse immotus, omnia movet atque impellit, omnia regit gubernatque :

... Io credo in uno Dio
Solo ed eterno che tutto 'l ciel muove.
Non moto, con amore e con disio.
(*Parad.*, XXIV, 44.)

... qui cuncta coercet
Legibus imperii, qui numina cœli
Constringit, cujus nutu cœlestia nutant...
(Lib. XI, cap. V.)

... sive motu cuncta gubernans.
(Lib. V, cap. III.)

— Secundum Dantem, Supremum Numen circulus est, a quo cuncta circumscribuntur, ipse vero incircumscriptus; immensus, immutabilis, æternus; ad Deum omnia manant; ad Deum tendunt omnia :

O Padre nostro che ne' cieli stai,
Non circoscritto...
(*Purgat.*, XI, 1.)

Non circonscritto, e tutto circonscrive.
(*Parad.*, XIV, 10.)

Ove s'appunta ogni *ubi* ed ogni *quando*.
(*Parad.*, XXIX, 4.)

Nec dissentit Alanus :

Nec solum loca cuncta replet, sed singula solus
Infra se claudit, quasi meta locusque locorum...
Principium sine principio, finis sine fine,
... sine tempore durans,
Immensus sine mensura, nec solum nomine solo
Dicitur immensus, verum mensura, caduca
Singula describens et certis finibus aptans.
(Lib. V, cap. III,

— E voluntate divina, ait Dantes, procedit, quasi ex fonte suo, omnis justitia,

La prima volontà ch'è per se buona
Da sè, ch'è sommo ben, mai non si mosse.
Cotanto è giusto quanto lei consuona;
Nullo creato bene a sè la tira
Ma essa, radiando, lui cagiona.
(*Parad.*, XIX, 29. — *Inf.*, XX, 10. — *Parad.*, IV, 23; XIX, 20.)

At, inquit Alanus, Deus

Nec solum justus vera ratione, sed ipsa
Justitia est...
Ens justum sine justitia...
(Lib., V, cap. III.)

— Deus lux est, addit Dantes, extra quam nihil nisi tenebræ :

Lume non è, se non vien dal sereno
Che non si turba mai, ansi è tenébra,
Od ombra della carne o suo veneno.
(*Parad.*, XIX, 22 ; XXXIII, 23.)

Deus, dixerat Alanus,

..... nec solum lucidus ipse ;
Lux est nocte carens...
(Lib. V, cap. III.)

— Docet tandem Dantes Deum hominis lapsi miseratione captum, ut eum levaret et liberaret a morte, nostram carnem assumpsisse atque induisse :

Nè tra l'ultima notte e'l primo die
Sì alto e sì magnifico processo
O per l'una o per l'altro fue o fie.
Chè più largo fu Dio a dar sè stesso
In far l'uom sufficiente e rilevarsi,
Che s'egli avesse sol da sè dimesso.
(*Parad.*, VII, 39, 40.)

Quam doctrinam Alanus ipse tradit :

Hic est qui nostram sortem miseratus, ab aula
Æterni Patris egrediens, fastidia nostræ
Sustinuit sortis, sine crimine criminis in se
Defigens pœnas, et nostri damna reatus.
(Lib. V, cap. IX.)

— Nec oblivisci velim quo eodem modo Alanus Dantesque, numinis supremi adspectu perturbati, splendorem primum vix ferre possint. (*Parad.* XXXIII.)

Hæc igitur vicina Deo vix sustinet hujus
Immortale jubar, vix majestatis inundans
Expectat lumen...
(Lib, VI, cap. V.)

Quæ omnia quum jam in clara luce ponantur, — ut cuncta, quæ de hoc itinere Dantis per cœlicos orbes dicta fuerunt, conficiam, — minime dubito affirmare Alighierum multa a Tullio, plura ab Alano hausisse : *Scipionis* enim e *Somnio* Ptolemei sententiam de mundo astrorumque concentu Dantes deprompsit, (quod quidem apud Alanum ipsum inveniebat) ; — 2° a Tullio tantum mutuatus est tum eam partem, in qua continetur Africani Æmilianique colloquium, tum partem illam, in qua describitur terræ hujus contemplatio ; — 3° ab Alano autem solo accepit tum *iter* per cœlicos orbes, tum *Empyrœum*, sanctorumque homnium felicitatem, tum denique Beatæ Virginis Mariæ præconium, nec non Dei ipsius laudes.

CONCLUSIO

Ad metam, quam sumus prosecuti, jam pervenimus, munere suscepto, pro virili parte, functi. Numquid? itane confecimus iter, ut omnia ista, ardua quidem, quæ viam impediebant, feliciter potuerimus superare?

Summa saltem diligentia, summaque verum assequendi studio omnia elaboravimus.

I. — Ante omnia, quæ sit Alani patria, quo anno natus sit, quæ studia præsertim fuerit amplexus, quo sit mortuus tempore, qu fuerit cumulatus gloria, quos tandem libros, aut adhuc manu scriptos, aut jam mandatos typis, scripserit, indagare voluimus. Quæ de his omnibus ponere sumus conati, ea profecto, vel quia Alanus de se ipso pauciora dixit, vel quia de viri illius factis pleraque testimonia perierunt, non valuimus omnino, fatemur, absolvere. Sed, quæ potuimus reperire, ita firmis, ni fallimur, monumentis statuimus, ut ea jam pro certis inconcussisque sint habenda.

II. — Deinde omnium operum, quæ in lucem Alanus edidit, præclarissimum, *Anticlaudianum* dico, magis attente consideravimus.

Postquam enim in medium protulimus qua fama et apud æquales et apud posteros opus illud fuerit auctum atque ornatum, — inquisivimus quonam e fonte haustum fuerit, — qua arte, qua poetica ratione sit compositum scriptumque.

Mox vero, fabula totius operis fuse exposita, — carmen nos-

trum contulimus non modo cum poematibus jam scriptis, quæ sibi Alanus in exemplum assumpserat, sed etiam cum nonnullis ejusdem ætatis carminibus, quorum quamdam *Anticlaudianus* præ se ferebat speciem.

Postremo, sermone, stilo, numerisque *Anticlaudiani* perpensis, tum quid significet carmen illud, tum quo pateat, paucis verbis indicavimus.

III. — Tandem cum nobis rem attente considerantibus videretur *Anticlaudianum* Dantisque *Comœdiam* singulari quadam, — nec antea unquam indicata, — similitudine conjungi, laboravimus omni ope ut cum Alighiero Alanus conferretur.

Primum fuimus conjectura ducti ad suspicandum vehementer Dantem Alani *Anticlaudianum* apud æquales insignem non modo non ignorasse, sed etiam legisse.

Deinde, ex utriusque operis summa attente examinata, minime fuit dubium quin utrumque opus, tum rebus variis quæ continentur, tum fine qui proponitur, non obscuram similitudinem exhibeat.

Postea nobis, inspicientibus quas diversas personas poetæ nostri inducerent, fuit profecto perspicuum monnullas, de quibus loquimur, personas inter se mira quadam affinitate arctissimaque cognatione quasi devinci, *Phronesim* dico et *Dantem, Rationem* et *Virgilium, Theologiam* et *Beatricem.*

Tandem, his omnibus ante oculos positis et disquisitis accuratissime, quum præterea videremus quo simili prorsus, imo quo eodem itinere per cœlicos orbes *Dantes Phronesisque* incederent, pro certo et rato habuimus Alanum Alighiero præmonstrasse tum hanc viam, qua pergit, tum illud, quod depinxit, *Empyræum.*

Quod si *Divinæ Comœdiæ* auctor *Anticlaudiani* scriptorem non raro sequi visus est, num ideo Dantis laus et ingenium aliquid detrimenti capiunt ? Minime profecto.

Non enim minor admiratio Danti tribuenda est, quamvis non pauca a poetis ætate majoribus mutuatus fuerit : semper ad laudem poetæ illius præclarissimi feretur et prædicabitur *Divinæ Comœdiæ* monumentum, quo paucissima sunt, tum majora universa mole, tum in partibus singulis perfectiora. Sed contra Alano erit non exiguæ laudi, quod *Divinæ Comœdiæ Anticlau-*

dianus nec pauca, nec minima, nec despicienda suppeditavit.

Alanus igitur, *Anticlaudiano* jam impositurus finem, librum suum præmuniebat, ne Zoilorum dentibus læderetur, atque exoptabat vehementer ut consequeretur decus immortale : at, si potuisset prævidere fore ut suæ *myricæ*, ut ait, Alighieranis *lauris* aliquando fierent sociæ, quanto meliore jure exclamasset !

O mihi continuo multum sudata labore,
Pagina, cujus adhuc minuit detractio famam,
Vive, nec antiquos tentes superare poetas !
Sed potius veterum vestigia semper adorans
Subsequere, *et lauris humiles submitte myricas !*
Si tamen ad præsens fundit sua murmura livor,
Et famam delere cupit laudesque poetæ
Supplantare novas, *saltem post fata silebit !*

APPENDIX

I

Loca præcipua, ex antiquis poetis desumpta, quæ in Anticlaudiano suo Alanus adumbravit.

I. E VIRGILIO.

1.— *Præfat.*, ...Scabra rubigine torpens.
Georg., I, 495. — Exesa inveniet scabra rubigine pila.
2.— *Præf.*, ...Et in tenui lascivit arundine musa.
Buc., *Egl.* VI, 8. — Tenui meditabor arundine musam.
3.— L. I, c. II, 42. — Nobis hypocritam mentiri nescit amorem.
Buc., *Egl.* IV, 42. — Nec varios discet mentiri lana colores.
4.— L. I, c. III, 55. — Est locus a nostro secretus climate tractus
Longo...
Æ. I, 159. — Est in secessu longo locus...
5.— L. I, c. III, 68, etc. — Versus, in quibus Naturæ domus depingitur.
Buc., *Egl.* IV, 39, etc.
6.— L. I, c. III, 86. — ...Teneram florum depasta juventam.
Buc., *Egl.* I, 55. — ...Apibus florem depasta salicti.
7.— L. I, c. VII, 30. — ...colorem
Non mentita tuum.
Buc., *Egl.* IV, 42. — Nec varios discet mentiri lana colores.
8.— L. I, c. VIII, 347. — In mensem pinguis procedet arista.
Georg. I, 8. — Pingui glandem mutavit arista.
9.— L. I, c. VIII, 372. — Artificis melioris opem cœlestis origo
Postulat...
Æ. VI, 730. — Igneus est ollis vigor et cœlestis origo
Seminibus...
10.— L. I. c. V, 501. — ...Antiqui vultus oblita parentis.
Æ. V, 174. — Oblitus decorisque sui sociumque salutis.
11.— L. II, c. I, 521, etc., p. 66.
Buc., *Egl.* I, 23, 24.— Sic canibus catulos, sic matribus hœdos.
Noram, sic parvis componere magna solebam.

12. — L. II, c. I, 545-546. — ...Quidquid
Humanus sermo et mens humana volutat.
Æ. I, 50; IV, 330. — Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat.
...Secumque ita corde volutat.
13. — L. II, c. III, 737, etc.— Trojæ nobilitas, Trojæ decus, inclyta Trojæ.
Fama vireret adhuc, nec laudis flore careret.
Æ. II, 225. — ...Fuimus Troes, fuit Ilium et ingens
Gloria Teucrorum!...
56. — Trojaque nunc staret, Priamique arx alta maneres!
14. — L. II, c. IV, 697. — ...Non sunt duo mente, sed unus.
Æ. IX, 182. — His amor unus erat...
15. — L. II, c. IV, 739, etc.— Non auri potum sitiens, non ebrius auro
Aurum potasset Crassus, male potus in auro;
Non olim civile nefas, non Cæsaris arma,
Non pueri regis animum, non fœdera regni,
Non mortis servile genus, servosque probasset
Magnus, etc...
Georg., II, 495, etc.— Illum non populi fasces, non purpura regum, etc.
16. — L. III, c. I, 1020. — ...Intrat penetralia mentis.
Æ. V, 484. — ......Et veterum penetralia regum.
17. — L. III, c. I, 1039-40. — Vallat eam macies, macie vallata profunda
Subsidet, et nudis cutis ossibus arida nubit.
Æ. III, 590. — ...Macie confecta suprema
Procedit...
Ovid., *Trist*. 3. — ...Vixque ossa texit macies.
18. — L. III, c. I, 1127. — Insultum ferri vincit labor improbus...
Georg. I, 145. — ...Labor omnia vicit
Improbus...
19. — L. III, c. II, 1168.— Nunc tenuem gracili meditatur arundine musam.
Buc., *Egl*. VI, 8. — Agrestem tenui meditabor arundine musam.
20. — L. III, c. IV, 1347. — Impare sub numero prudentum dogma figuret.
Buc., *Egl*. VIII, 75. — ......Numero deus impare gaudet.
21. — L. III, c. V, 1425, etc.— Quo cantu lapides mollescere, currere silvas,
Flumina stare, feras mitescere, cedere lites,
Jussit Threicius vates, fractoque rigore
Compulit Eumenides lacrimis, Ditemque coegit
Esse pium, Furiasque suum nescire furorem;
Quo cantu Tyrios montes in mœnia vertit
Amphion sic saxa domans; quod nulla securis
Edomuit rigidas cautes, etc.
Georg., IV, 467, etc.— 510. ...
Mulcentem tigres et agentem carmine quercus.
22. — L. IV, c. II, 1552, etc. — p. 42, 43.
Æ. V, 315, etc. — Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.

23.— L. IV, c. II, 1682, etc.— A collo suspensa sonos crepitula dulces
Reddunt et multo perfundunt aera cantu.
Georg., II, 523. — Interea dulces pendent circum oscula nati.
24.— L. IV, c. IV, 1812.— Cur volucris celeri pennarum remige tuta
Plumas in remos, alas in carbasa fingens,
Transmeat aerium pelagus quasi navis imago, etc.
Æ. v, 215, etc. — Qualis spelunca subito commota columba...
Fertur in arva volans...
mox aere lapsa quieto
Radit iter liquidum celeres...
sic secat ultima Pristis
Æquora...
25.— L. IV, c. v, 1839. — Hos Deus esse deos fecit...
Buc., *Egl.* I, 6. — ...Deus nobis hæc otia fecit.
26.— L. V, c. IV, 2216.— O regina poli, cœli dea, filia summi
Artificis : nec enim facies divina caducam
Te docet, aut nostri generis deferre lituram,
Quam probat esse deam vultus sceptrumque [fatetur.
Æ. I, 327, etc.— O, quam te memorem? virgo; namque haud tibi [vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o, dea certe;
An Phœbi soror? an nympharum sanguinis una?
27.— L. V, c. VII, 2416, etc. — Empyrœi descriptio.
Æ. VI, 637-669. — Elysiorum camporum descriptio.
Largior hic campos æther et lumine vestit
Purpureo solemque suum...
Hic genus antiquum Teucri...
Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi, etc.
28.— L. V, c. IX, 2445. — Cujus in adventum redit ætas aurea mundo.
Buc., *Egl.* IV, 9, 10. — ...quo ferrea primum
Desinet et toto surget gens aurea mundo.
29.— L. VI, c. II, 2680. — Non erat iste sopor somni, sed mortis, imago.
Æ. II, 36. — ...Ubique pavor et plurima mortis imago.
30.— L. VI, c. IV, 2839. — ...Splendorque sui non immemor ignis.
Georg. III, 498. — ...Inmemor herbæ.
31.— L. VI, c. v, 2893. — Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet.
Æ. II, 311. — ...Jam proximus ardet
Ucalegon...
32.— L. VII, c. VIII, 3069. — Exspectata diu prudentia redditur...
Æ. v, 104. — Exspectata dies aderat...
33.— L. VIII, c. I, 3445. — Rupis in abrupto suspensa minansque ruinam
Fortunæ domus in praeceps...
Æ. VIII, 190. — ...Saxis suspensam hanc aspice rupem :
Stat domus et scopuli ingentem traxere ruinam.

34. — L. VIII, c. II. — In quo describuntur vitia, quæ in hominem novum [conveniunt.

Æ. VI, 273, etc. — Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci,
Luctus et ultrices posuere cubilia Curæ, etc.

35. — L. IX, c. VI, 4218. — Mole sua fixum...

Æ. X, 771. — ...Mole sua stat.

36. — L. IX, c. VIII, 4304. — ...Et stygias fugit indignata sub umbras.

Æ. XII, 952. — Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

37. — L. IX, c. VIII (p. 47). — In quo ætas aurea describitur, Virgilianos versus clarissime in memoriam revocat, ut ex his locis inter se collatis manifestum est.

Buc , *Egl.* IV, et *Buc.* II, 82. —
Miraturque novos frondes et non sua poma.

Nec non Catulli versus sequentes :
Non humilis curvis purgatur vinea rastris,
Non glebam prono convellit vomere taurus;
Non falx attenuat frondatorum arboris um- [bram.
(Catul., LXIV, 39, etc.)

II. E VARIIS POETIS.

I. EX HORATIO.

1. — L. I, c. VII, 300. — Vestis erat filo tenui contexta...

Epist., I, 227. — ...Tenui deducta poemata filo.

2. — L. I, c. VIII, 325. — Nulla manent vestigia fæcis.

Epist., II, 161. — ...Hodieque manent vestigia ruris.

3. — L. I, c. VIII, 326. — ...Non mentis obesæ
Segnitiem loquitur...

Epod., XII, 3. — ...Neque naris obesæ.

4. — L. I. c. IX, 417. — Sed quia principia nullo concludere fine,
Vel dare principiis fines aliunde profectos,
Ut primo medium, medio non consonet imum,
Censetur turpe, fluitans, mutabile, stultum.

Art. poet., 126. — Si quid inexpertum scenæ commitis et audes,
Personam formare novam, servetur ad imum
Qualis ab incœpto processerit et sibi constet...

v. 156. — Primo ne medium, ne medio discrepet imum.

5. — L. II, c. V, 777. — Quas penes arbitrium jus est et regula mundi.

Art. poet., 74. — Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.

6. — L. II, c. VII, 985. — Sese submittant, nec eis servire recusent.

Art. poet., 41. — ...Et versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri...

7. — L. III, c. III, 1455. — Cum lacrimis risus, cum ludis seria texens.
Art. poet., 107. — Ludentem, lasciva; severum, seria dictu.

8. — L. III, c. III, 1492. — ...Tali dictante magistro.
Epist., I, XVIII, 13. — Ut puerum sævo credat dictata magistro
Reddere...

9. — L. IV, c. IV, 1769. — Indomiti spatientur equi, normamque relinquant,
Devia sectentur...
Art. poet., 26. — ...Sectantem lœvia, nervi
Deficiunt animique...

10. — L. IX, c. VIII (p. 47). } Aureæ ætatis descriptio.
Epod. XVI, 43, etc. }

II. EX OVIDIO.

11. — L. I, c. II, 34. — Et pleno cuncta perfundens Copia Cornu.
Meta., X, I, 88. — Divesque meo bona Copia Cornu est.

12. — L. I, c. VII, 265, etc. — ...Colla pererrat
Aurea cæsaries, sed regula pectinis instat.
Meta., IV, 311. — Sæpe cytoriaco deducit pectine crines.

13. — L. I, c. X, 440 et seq. (p. 40).
Meta., II, 13, 14. — ...Facies non omnibus una,
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

14. — L. I, c. X, 446. — Plenior ætate, plenis maturior annis.
Meta., XIV, 617. — Remulus, maturior annis.
Qui versus aut similis non raro invenitur :
Candidior cycnis, hedera formosior herba.
(Virg. *Egl.* VII, 38.)
Horridior rusco, projecta vilior herba.
(Virg., *ibid.*, 42.)

15. — L. III, c. V, 1425, etc. — De Orpheo.
Meta., XI, I, etc. — Carmine dum tali silvas animosque ferarum
Threicius vates, et saxa sequentia ducit...
Ibid., X, 40, etc.

16. — L. IX, c. VIII (p. 47). } Aureæ œtatis descriptio.
Meta., I, 100, etc. }

17. — L. II, c. III, 665. — Dimidium qui cœpit habet; finisque beati
Gratia principiis semper respondet honestis.
Ovid., — Dimidium facti qui bene cœpit habet.

III. E CLAUDIANO [1].

18. — L. I, c. VI, 213, etc. — VIII, c. IV, 3725, etc. — IX, c. VII, 4175.
In Rufinum, I, p. 19, 20.
Sat nobis erit referre versus sequentes :
L. VIII, c. III, 399, etc. — ...Tristis ad istos
Horruit Alecto rumores...

In Inf., I, p. 18. — Invidiæ quondam stimulis incanduit atrox
Alecto, placidas late quum cerneret urbes.
Ibid., 3709, etc. — Ergo suas pestes pestis prædicta repente
Convocat : ad cujus nutus glomerantur in unum
Tartarei proceres, rectores noctis, alumni
Nequitiæ, fabri scelerum, culpæque magistri,
Damna, doli, furor, odium, discordia, pugnæ,
Morbus, tristities, lascivia, luxus, egestas, etc.
In Ruf., I, p. 18.— Protinus infernas ad limina tetra sorores,
Concilium deforme, vocat : glomerantur in unum
Innumeræ pestes Erebi, quascumque sinistro
Nox genuit fœtu, nutrix Discordia belli,
Imperiosa Fames, leto vicina Senectus, etc., etc.

19. — L. I, c. III, 55. — Est locus, a nostro secretus climate tractus
Longo...
In Ruf., I, p. 23. — Est locus, extremum qua pandit Gallia littus.

20. — L. I, c. VI, 227, etc. — L. VI, c. VI et VII, ubi sententiæ sequenti contraria sententia fuse evolvitur.
In Ruf., I, p. 23. — Solus habet quidquid scelerum possidemus omnes.

21. — L. VIII, c. V, 3776. — ...Discordia cunctos
Excitat, et sociis infundit Martis amorem.
In Ruf., I, p. 21. — Dissensu alitur rumor...

22. — L. VIII, c. V, 3361, etc. — His dictis plebs tota suos clamore fatetur
Assensus, dominamque sequi, quocumque [feratur,
Spondet, et ad votum confestim facta se- [quuntur.
In Ruf., I, p. 23, 24. — Orantem sequitur clamor, cunctæque profanas
Porrexere manus, inventaque tristia laudant.

23. — L. VIII, c. V, 377?. — Pauperies, facie dejecta et paupere cultu
Incessu tristi gradiens...
In Ruf., I, p. 22. — Infelix humili gressu comitatur Egestas.

24. — L. V, c. VI, 2408, etc. — L. VIII, c. VI, 3860, etc.
In Ruf., I, p. 30. — Vel Sinis isthmiaca pinu, vel rupe profunda
Sciron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sulla, etc.

25. — L. VI, c. VIII, 3018, etc.
In Ruf., I, p. 32, 33. — Hoc neque Geryones triplex, nec turbidus Orci
Janitor æquabunt, nec, si concurrat in unum,
Vis Hydriæ, Scyllæque fames, et flamma Chi- [mæræ.

26. — L. II, c. IV. — In quo concordiæ opera bona describuntur.
In Ruf., I, p. 22, 23. — Ubi describuntur mala, quæ ex discordia [oriuntur.

27. — L. VI, c. IX (p. 65).
In Ruf., I, p. 33. — ...Jugulare minatur
Tu prohibes : ditem spoliat; tu reddis egenti :
Eruit; instauras; accendit prœlia; vincis.

28.— L. IX, c. viii (p. 47). In *Ruf.*, i, p. 37. } Ætatis aureæ descriptio.
29.— L. IX, c. i. — Discordiæ interitus.
In Ruf., ii, p. 61. — Rufini mors.
Epilogum tandem a Statio (*Theb.*, lib. xii, v. 819 et seq.) Alanus mutuatus est. V. p. 47.

II

Præcipua loca *Divinæ Comœdiae*, quæ cum *Anticlaudiano* sunt referenda

Inferno, ii, 26, 35 .... p. 94
Inferno, iii, 2 102
Inferno, xx, 10 104
Purgat., vi, 16 94
Purgat., xviii, 16 84
Purgat., xxii, 24, 27, etc 84
Purgat., xxvii, 43, etc 85
Purgat., xxxi, 41; xxxii; xxxiii, 49 ....

Cantus ille xxxii omnis, in quo apparet Beatrix, in memoriam revocat locum *Anticlaudiani*, in quo Theologiæ interventus depingitur.

Parad., i, 5, etc 91
Parad., i, 19, 24.

19. Molto è licito là, che qui non lece
Alle nostre virtù, mercè del loco
Fatto per proprio dell' umana spece.

24, etc. Beatrice tutta nell' eterne ruote
Fissa con gli occhi stava; ed io, in lei
Le luci fisse dì lassù remote,
Nel suo aspetto tal dentro mi fei
Qual si fe' Glauco nel gustar dell' erba,
Che 'l fe' consorte in mar degli altri dei.
Transumanar significar per verba
Non si poria....

Parad., iii, 24, etc 100
Parad., iv, 39.

Cotal fu l' ondeggiar del santo rio
Ch' uscì del fonte ond' ogni ver deriva,
Tal pose in pace nuo ed altro disio.

Parad., iv, 13.
Parad., vi, 39, 41.
Parad., vii, 39, 40 104
Parad., xiv, 10 103

Quinci sì può veder come si fonda
L'esser beato nell' atto che vede,
Non in quel ch' ama, che poscia seconda,
E del vedere e misura mercede.

O somma luce, che tanto ti lievi
Da 'concetti mortali, alla mia mente
Ripresta un poco di quel che parevi.

Vidi ac perlegi

Pictavii, die decima mensis maii
Anno MDCCCLXXXV,

Facultatis litterarum in Academia Pictaviensi decanus,

ARREN.

Typis mandetur,

Academiæ Pictaviensis rector,

A. CHAIGNET.



INDEX

Pars secunda. — De Anticlaudiano et Divina Comœdia.

ANGERS. — IMPRIMERIE LACHÈSE ET DOLBEAU.

ERRATA

Pag. 14; linea 13 : *Ultro* pro *utro*.
— 16; not. 4; lin. 2 : *Antissiodorensem* pro *Autissiodorem.*
ibid.; lin. 5 : *1185* pro *1285.*
— 17; not.; lin. 1 : *Échard* pro *Achard.*
— 19; lin. 17 : *His adjungatur* pro *hi...*
— 21; not.; lin. 5 : *Ab anno* pro *ad anno.*
ibid.; lin. 6 : *Ab an. 1179 ad an.* pro *ad an. 1179 ab. an.*
— 24; lin. 24 : *Mandaverit* pro *mandavit.*
— 30; not. 2; lin. 9 : *tentare* pro *tentari.*
— 31; not.; vers. 7 : *lonc* pro *louc.*
— 32; lin. 13 : *fuisse non videtur* pro *fuisse videtur.*
— 39; lin. 29 : *maturat* pro *naturat.*
ibid.; lin. 30 : *proprioque* pro *propriaque.*
— 54; lin. 7 : *Philologiam* pro *Philosophiam.*
— 84; lin. 21 : *parola* pro *parolo.*
— 85; lin. 18 : *A suo senno* pro *e suo...*
— 86; lin. 33 : *Quid autem?* pro *Qui autem?*
— 91; lin. 5 : *Fammi* pro *flammi.*
ibid.; lin. 6 : *A dar* pro *e dar.*
— 92; lin. 4 : *ma per* pro *sua per.*
ibid.; lin. 32 : *Ancor* pro *Amor.*
ibid.; 33 : *fantin* pro *fanti.*
ibid.; lin. 37 : *Ancor* pro *Aucor.*
— 100; lin. 22 : *cerne* pro *cerve.*
ibid.; lin. 27 : *si muove* pro *se muove.*
— 102; lin. 8 : *alta* pro *altra.*
ibid.; lin. 15 : *è* pro *e.*
— 104; lin. 17 : *anzi* pro *ansi.*
Ibid; lin. 31 : *a rilevarsi* pro *e....*
— 112; lin. 14 : *novas* pro *novos.*
— 115; lin. 37 : *uno* pro *nuo.*
— 116; lin. 2 : *XXVIII* pro *XXVII.*
ibid.; lin. 6 : *vedere è* pro *vedere e.*



